POEMATA VARIA
RAYMUNDI GUARINI.

NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE.

1821.

LECTORI

AMICO. QVEM. COLVI. SEMPER

INIMICO. QVEM. PROVOCAVI. NVNQVAM

NVNQVAM. LAESI

SI. VACVI. AMBO. ALTERVTERVE

RAYM. GVARINIVS. ANG. F. NICOL. N

QVI. IGNOSCAT. GRATIA

QVI. IVRE. REPREHENDAT. OBSEQVIVM

SINE. QVERELA

AD. D. PRID. KAL. OCTOBR. MDCCCXXI.

AD LECTOREM

Plura fefellerunt, queis ne fallaris et ipse,
Haec ne praetereas, Lector amice, cave.

				Errata.	*Corrige.*
Pag.	2.	v.	4.	adusta	adusto
pag.	7.	v.	11.	adsurgite contra	adsurgite
pag.	15.	v.	20.	iam	iam iam
pag.	32.	v.	ult.	augue	angue
pag.	34.	v.	9.	sensi	sensit
pag.	36.	v.	21.	novi	novit
pag.	48.	v.	21.	et	est
pag.	67.	v.	ult.	pate	parte
pag.	73.	v.	5.	silenti	silente
pag.	93.	v.	9.	Symmaclium	Symmachum
pag.	101.	v.	4.	turpiaa	turpi
pag.	115.	v.	13.	corculnm	corculum
pag.	116.	v.	8.	putre	pulcre
pag.	118.	v.	6.	ciascuna	ciascun
pag.	120.	v.	1.	nel mio cor	nel cor
pag.	*ibid.*	v.	11.	Che avverso	Che d'avverso
pag.	173.	v.	11.	non lo	non so

CARMINUM, ET EPISTOLARUM

LIB. UNICUS

I.

Domini Natale

Divinos ortus, summi incunabula regis,
Dicere fert animus. Vatem, paritura Virago,
Tu rege, Virgo, tuum, si virginitatis honores,
Si materna tuum tangunt et gaudia pectus.
Tu mihi, Diva, refer, summas quid linquere sedes,
Quid Patris amplexus, aeternaque gaudia natum
Impulerit, ferrique hominem, et mortalia ferre
Membra Deum. Generis modo tantane gloria nostri?
Est locus (irrigui circum fremitu undique fontes
Irrorant leni), tepidis quem flatibus austri
Vere beant iugi. Non illum aut Syrius urit,
Aut durat gelidis frigens Aquilonibus Arctos.
Hic narcissus hiat, violaeque, et lilia passim,
Halantesque rosae, et luteoli hyacinthi,
Aeternumque virens amarathus, et herbida florum
Cetera turba. Ingens medio diffinditur alveus,

Spumeus unde Phison, Gehon, Euphratesque, Tigrisque,
Quattuor e plenis exundant cornibus amnes.
Vomere non illic terram subvertit arator,
Aut stabulo infercit, culmove resolvit adusta.
Sponte sua laxatque sinum genitalibus auris,
Concipit, et nulla concredita semina dextra
Maturat. Ramis ultro pendentibus uva
Stat, nullo vites ulmis iungente maritas.
Una, eademque virens pomis, et floribus arbos
Laeta nitet, quâ nascitur, et quâ decidit annus.
Hinc et lanigerum pecus, immixtaeque capellae,
Cum taurisque boves, nullo custode, per agros
Ubera securae passim distenta vagantur.
Haec quondam sedes patribus laetissima nostris,
Quam coleret nunc aeger homo, nî laeva fuisset
Mens, et culpae expers, et cura liber ab omni.
His super afflabat caelestis et aura favonî,
Et Divûm nullo placidi non tempore vultus
Praeterea augebant pacem, et purissima vitae
Gaudia. Vix escis at dum fatalibus haesit,
Exhausitque nefas vetitum, nocituraque poma,
Protinus inversae rerum facies. Tonat horrens
Parte utrâque polus, nimboque, et fulgure saevus
Incumbit misero, dulcique excedere sede
Cogit. Quid memorem casus, et tristia vitae
Tempora ab aversa jam Divûm mente recludam!
Tum primum caelique minas, terraeque labores,
Et maris insani didicit pallere procellas.

Et didicit fraudes, herbas didicitque nocentes,
Et bella, et clades alterno sanguine notas.
Hinc timor, anxietas, iraeque, et saucius usque
Corda dolor. Tunc et filices, loliumque, rubique
Fallere spem messis, frustra insudante colono.
Hinc labor, hinc et saeva fames, hinc turpis egestas,
Quam pudor, et squalor semper comitantur euntem.
  Hactenus haec: revocant etenim graviora volentem
Criminis haud poenae veteris, sed crimine ab ipso
Ordine diducta in peius nova crimina longo.
Quandoquidem ut puri nativo e gurgite fontes
Desiliunt primum: patrio dein margine passim
Errantes, et aquis sensim pluvialibus aucti,
Seu quas caeca palus limosa emittit ab alvo;
Tantum sordescunt, quantum de fonte recedunt:
Non secus aeger homo, divino e lumine postquam
Divertit, genus unde suum; mox caeca cupido
Ingruit, obscuraque aciem caligine texit.
Longius inde suo distractum e lumine in omnes
Obvolvit male firmum animi, pronumque tenebras.
  Quod vetitum inde nefas, quod non mortalibus ausum?
Cognato primum saevitum in sanguine. Foeda
Protinus obduxit mentem, brutisque libido
Aequavit. Mox impia Caeloque intulit arma.
  Profuit inde nefas delesse ultricibus undis,
Cum genus aequoreum summis in montibus haesit,
Nostri et spes generis domo in una tota coacta est.
At vix dum Caelo licuit gaudere sereno,

Nec dum animo exciderant fluctus, tristesque ruinae!
Pronior in pejus ruit aerumnosa propago.
Ut, quem congesti cohibent ex aggere valli,
Si fortasse amnis adversa obstacula vicit,
Acrior erumpens silvasque, agrosque pererrat,
Arboribus, pecorique lues, pecudumque magistris.
Quis furor heu! terram, divino et nomine pontum,
Lucentesque globos censere, bovemque, canemque,
Et murem exiguum, porrumque, et noxia cepe,
Et quorum pudor est, mens et meminisse refugit?
Quin etiam sceleri, posito velamine, tandem
Et quaesitus honos, facili et ratione tributus.
Ecquid enim lasciva Venus, Gradivus adulter?
Luxuriae quaesita tuae male numea utrumque.
Et caedes, et bella ferox Bellona tuetur,
Furtaque praepetibus fidens Cyllenius alis.
Ut taceam ipse Jovem, quod numen in omnibus unum,
Et quocumque voles, securus habebis amicum.
Hos inter mortalis homo casusque, tenebrasque
Errabat fatis actus, Sol cum aureus orbem
Orbibus et centum decies, deciesque trecentis
Esset ab integro emensus. Caelestis at aura
Exigua caecis nequidquam luce refulgens
Linquebat terram, et Caelum indignata petebat.
Sed Pater omnipotens, summa qui immotus ab arce
Metitur rerumque modos, et tempora certa,
Non tulit hanc speciem, sortem miseratus iniquam.
Quippe subit mentem caelestis origo, vetusque
Gentis honos, foedusque ictum, promissaque regna,

Aligerumque olim desertae crimine sedes.
Anguis ad haec veteris fraudesque, dolique,
Exitio et generis numquam non prona libido.
Interea haec secum: aeternum his periturus in umbris
Deget homo, et nostrae in terris oblivio famae
Aeternum stabit nullos delenda per annos ?
Ibit ad haec tumidus serpens, atque ibit inultus
Tantorum ille opifex serpens, auctorque malorum?
Non equidem haec animo jam tum sententia sedit,
Cum neque in orbe dies, neque flaret in aequora ventus,
Et circum nox obtegeret, nox horrida tantum,
Aeternum nihil, immensos sine corpore tractus.
Jam satis haec: Anguis nunc stat turgentia colla
Frangere. Stat generis longas reparare ruinas.
Dixerat. Et dia selectum e pube ministrum
Jordanem juxta, tellus quâ Nazara paullum
Assurgit, properare jubet pernicibus alis.
Hic casto aeternum sub pectore Virgo pudoris
Propositum servat, sanctos et sola Penates
Turbam exosa colit. Tantum caelestibus auris,
Et quâ sol oritur, et quâ caput aequore condit,
Ore immota inhiat, plenisque sitim haustibus explet.
Hanc Pater edicit Jessaeo e palmite virgam,
Quae mundi florem jam nunc pulcherrima prodat:
Hanc vellus, quod humo circum dehiscente, saluber
Adfundat ros,, ros teneris gratissimus herbis:
Hanc quae concipiat virgo, pariatque virago,
Felix virginitate parens, et prole virago.

Huic ergo altipotens juvenem caelestia ferre
Jussa dat : *hanc Matremque Dei*, *mundiqu salutem*.
Nec mora. Demissis quantocyor aliger alis
Aethera perrumpit liquidum, et cava nubila findit.
Non illum venti, nullae tenuere procellae,
Nazarias donec sedes, signataque venit
Limina. Divini panduntur ab ordine sensus;
Imperia accepta : imperiis atque addita dona,
Qualia digna Deo, divina digna Parente.
Hoc opus; iste labor; volucrisque ea summa ministri.
Quamquam virgineos primum pepulisse timores,
Atque insueta virûm flexisse affatibus ora,
Non ea sollertis, non ultima gloria Alumni.
Protinus aeternum pervadit viscera Verbum;
Omnipotens Verbum, summi Genitoris imago,
Et decor, et species, et ineluctabile robur,
Virginis et parvo, mirum! concluditur alvo!
Illa immota sui miratur claustra pudoris,
Concepto et sensim concrescere numine ventrem.
Haud secus intacta bullam compagine complet
Spiritus intus alens, cui non circumfluus aer
Aëra dat clausum nativas pandere vires.
Nonaque jam caelo adsurgens aegentea Luna
Virginei fructus sat maturaverat alvi.
Tum Pater Augustus, parta tellure, marique
Pace, suas iterum Jani concluserat aedes.
Inde omnem late populum, et quos maxima Tellus
Mater alit, quos et complectitur Amphitrite,

Describi caput omne jubet, censumque referri.
Iverat et censu, jussum argentique tributum,
Moenia qua se se Solymorum ingentia tollunt,
Cum seniore viro paritura adferre puella.
At quales nunc, Diva, jubes conscendere montes
Defessum, insuetumque viae? tu dirige gressus,
Optatas et da, Virgo, contingere metas,
Limine cui labor hic omnis devotus ab ipso est.
Arguat indignam caeli te lumine primum,
Hospitio Divûm Solymae non aequa voluntas.
At vos ex humili jam nunc adsurgite contra, valles
Bethlemiae, ignoti valles haud nominis ultra.
Vos petit ecce Deus: Factori adsurgite vestro.
Quae vobis dehinc anteferenda palatia regum?
Ergo cum nigris iret subvecta quadrigis
Pallida nox, mediaque silens consisteret arce,
Ingratas Virgo Solymas, praeeunte relinquens
Cum sene, quâ Bethlem muscosa cacumina tendunt,
Antrum informe, ingens tenuit, cui saxea dorso
Incumbit rupes, ululis ea cognita sedes
Tantum, et noctivagis bubonibus horrida rupes.
Hospitii comites antro stabulantur eodem
Soli inter se se bos, tardae et mentis asellus.
Fulgentem videas Phoeben, rutilantiaque astra
Splendore aucta novo pallentem extrudere noctem,
Et nova visa etiam discurrere lumina Caelo.
Auditique procul cantus, caelestia Divûm
Pabula, plaususque ingentes, festaeque choreae.
Inde omnem videas, libratis desuper alis,

Demissam, longe stabulum, considere pubem.
At virgo, non illa ultra mortalis, et ultra
Iam jam immortales superûm celsissima mentes
Evecta, haud fandos evolvit pectore sensus.
Quâ sedet immenso lucis circumdatus orbe,
Complexus lucemque suam regnator Olympi,
Rex hominum, superûmque Pater, non obvius ulli;
Hac animi secura sui pulcherrima Virgo
Tenditur. Olli inhians animus jam liquitur omnis.
Non secus optato deflagrans lumine circum
Papilio hac illacque agitur trepidantibus alis,
Praecipiti donec lapsu ruat omnis in illud.
Ecce autem ante pedes, casti sine labe pudoris,
(Nec dolor hic ullus, vel feminei ululatus)
Matris dulce decus, magnum Patris incrementum.
Talia inoffenso desudant cortice tura,
Qualia Panchaeis Phoebus maturat in oris:
Permeat aut vitrum talis tenuissima lucis,
Permeat aura vitrum, vitrum nec laeditur aura.
Inde genu inflexus, dictu mirabile, Asellus,
Hinc et devexa taurus cervice recumbens,
Demulcent tepidis halante e pectore flabris,
Ore suo et Dominum, Possessoremque salûtant.
Sed nudum aspiciens Mater, dulcissima mater,
Arcanique stupens tanti mysteria facti;
Non compos, non illa sui, non amplius illa;
Haeret paullum animis obtutu immobilis uno:
Protinus immenso lacrimarum effunditur imbre,
Et nati ruit ante pedes; dein talibus infit:

Nate Deo, sanguisque meus, mea maxima, nate,
Gloria! quandoquidem tali dignaris honore
Ancillam Deus, ut non dedignere Parentem:
Si tibi tantus amor; nostrae si cura salutis
Tanta fuit, nostra ut ferres mortalia membra:
Heu! quali exceptum video te limine, nate!
Antrum immane, horrens, hi nunc tibi, care, Penates?
Et substant heu! pro regalibus aspera cunis
Stramina! Bos tantum non deest, non vilis asellus,
Hospitii comites heu! natalesque ministri!
Hic dolor, hic intercepit majora volentem.
Tum niveis trepidans puerum complectitur ulnis,
Irrorat lacrimis, lacrimis atque oscula miscet.
Contegit hinc velo, pectus quo mater honestum
Vestibat: modicum lactentique ubere pastum
Alma Parens praesepe super studiosa reclinat.

II.

In idem argumentum

ECLOGA.

Aegonis musam referam, nocturnaque vota,
Qualia vicinis auditus reddere silvis,
Flumineas ad aquas, et quae Pater audiit ipse
Iordanes, pronaque stetit miratus ab urna.
Ergo cum medio fulgeret Luna sub axe,
Luna tenebrarum, et taciturnae noctis amica;
Aegon dives agri, pecoris ditissimus Aegon,

Idemque et canere, et calamos inflare peritus,
Talia sub caelo auditus cecinisse sereno.
Excute nocturnos mecum, mea tibia, somnos.
Nonne vides, puris ut fulgeat ignibus aether?
An latet, exacto quae nox redit aurea ab anno?
Aurea nox, sic advenias tu candida semper,
Et grata, et felix adsis mortalibus aegris!
Tecum nulla dies, nulli contendere soles
Dehinc ausint, felix, et candida, et aurea semper.
Incipe divinum jam nunc, mea tibia, carmen.
Nunc hominum casus vere miseratus acerbos,
A somno velut excîtus, caput extulit alto
Abraeque, Isacique Deus, Deus ille Parentum
Nostrorum, ille caput caelo tandem extulit alto,
Et mortale genus luce irradiavit amica.
Caelorum hinc obices, veteresque ab origine mundi
Fractae inimicitiae patrio de semine ductae.
Incipe divinum, mea tibia, jam incipe carmen.
Nec generis tantum dispendia longa rependit
Antiquae delens ea nox contagia culpae;
Quin miseros et tanto etiam cumulavit honore,
Et tanta in nostram convexit praemia sortem,
Ut possit felix jam culpa vel ipsa videri.
Concipe divinum jam nunc, mea tibia, numen.
O felix Adae, salve, laetissima proles!
Qualis honos, et quanta venit tibi gloria! quae te
Gaudia contingunt! salve, pulcherrima proles.
Concipe divinum, mea tibia, concipe numen.
Fallor, an ille Deus? sed non tantum Deus ille:

Ille homo, et ipse Deus. Sic tandem noster uterque.
Aurea ut a facie caelata utraque tabella,
Si dextram spectes, vestigia magna Leonis,
Si laevam, placidi formam tibi porrigit Agni,
Una eademque manens utrâque in parte tabella.
Incipe divinum jam nunc, mea tibia, carmen.
Montibus haec canere in nostris, plaudentibus auris,
(Nunc repeto) Damon multis, ac saepe solebat.
Et puero bonus, addebat, mihi sic Pater olim;
Iste ciebat avum: longo post tempore tandem
Venturum, nostras olim qui ad sidera laudes
Tolleret, ac daret esse Deos, Divûmque propinquos.
Incipe divinum, mea tibia, jam incipe carmen.
Tityrus haec cecinit. Cecinit saturnia regna,
Progeniemque novam, laudes et Virginis altas,
Accubuitque senex patulae sub tegmine fagi.
Concipe divinum jam nunc, mea tibia, carmen.
Limina nonne vides disclusa patentis Olympi,
Aligerûmque manus, libratis aethere pennis,
Bethlemios liquidum per iter contendere colles?
Audio divinumque melos, caelestia Divûm
Pabula: *Pax Terrae, Regnatorique potenti*
Gloria, qui Caeli summas super eminet arces.
Concipe divinum, mea tibia, concipe carmen.
Hic specus: En antrum dura sub rupe cavatum.
En virgo, sociusque senex, virtutis imago.
Hic Puer.. O tandem salve demissus ab alto!
Intonsi assultant colles, vallesque supinae,
Fontesque, Oceanusque Pater de sedibus imis.

Concipe divinum jam nunc, mea tibia; carmen.
Sed quid lacrimulis blandi sparguntur ocelli,
Nate Deo? quali exceptum te limine cerno?
Antrum immane, horrens, vilis foenique maniplus,
Haec porro niveis, haec incunabula membris!
Incipe jam tenerum, mea tibia, jam incipe carmen.
Algentem tepidis praelargi pectoris auris
Te mulcent asinus, devexa et fronte juvencus.
Incipe jam tenerum mecum, mea tibia, carmen.
Blande puer, nostraeque puer spes una salutis,
Hi tibi vicinis humiles de vallibus adsunt
Pastores, simplex genus, atque agrestia lactis
Dona ferunt, et lecta hortorum munera, poma.
Incipe jam tenerum mecum, mea tibia, carmen.
Aspice, ut alterno resonat vicinia cantu,
Et circum celsi montes, vallesque profundae,
Iordanesque Pater viridanti e margine laetus
Assonat, et late respondent omnia circum,
Dulce cavis carmen modulantibus undique avenis?
Incipe jam tenerum mecum, mea tibia, carmen.
At non Pastorum tua fama superbiet unis
Obsequiis. Veniet tempus, cum munere terno
Dives Arabs, regale genus, de finibus ultro
Ipse suis properans flexo te poplite honoret.
Sed quo me rapitis; divini, longius, ignes,
Divini in totis concepti jam ossibus ignes?
Lucifer auroram tremulus jam pulsat amicam,
Lucidaque in occiduum verguntur sidera litus.
Desine divinum tandem, mea tibia, carmen;

Desine divinum jam nunc, jam desine, numen.
Sed tibi, care puer, nostris dum fontibus umbrae,
Iordanesque Pater nostra haec praeterfluet arva :
Quâ sol Eoo madidus de litore surgit ,
Quaque sub occidua declivis mergitur unda ,
Aeternum tanti perstabit gratia facti.
Et jam vota tibi , tibi sacrabuntur et arae ,
Aurataeque aedes , victuraque carmina seclum.
Desine nunc tenerum , mea tibia , desine, carmen.
Haec Aegon. Cursuque amnem dedit ire secundo
Iordanes , tanto correptum numine tanta
Pastorem cecinisse , satis miratus , et ultra.

III.

Beatae Virginis triumphus.

Extremum hunc, Mater, pueris concede laborem,
Te superas scandentem auras , et nota petentem
Limina posse sequi. Totos utinam atque liceret
Posse sequi , nulla hic nostri jam parte relicta,
Contigit ut primum tibi , parte superstite nulla
In terris , Solisque vias , totosque tenere
Caeli aditus ! Sed enim miseris cum talia posse ,
Non huc usque datum, te mente utcumque sequemur
Progenies tua , si de more , volentibus adsis.
Qualis virgineo demessus pollice , mane
Primo hyacinthus hiat , quem matutinus et imber,
Et tepidae afflarunt , Zephyris mulcentibus, aurae ;

Cum primum irradians notos evadere fluctus
Contendit Phoebus; talis pulcherrima Virgo,
Postquam divus Amor mortali excedere sede
Impulerat vitae captam melioris amore,
Os placidum, niveasque manus, oculosque decoros
Ad Caelum felix tendens resupina jacebat;
Vix ut correptam tenui, languentibus alis,
Tute sopore putes. Sic ora, manusque ferebat,
Sic oculos, et quae mortali cetera vitae
Proxima. Terque diem surgens induxerat orbi
Aurora; et nondum Phoebus caput aureus undis
Extulerat; face tergemina cum visa repente
Et circum domus omnis, circum litus et omne
Fulgere. Crebra etiam per rara crepuscula visa
Aligerûm pubes inter plaususque, choreasque
Ingentes, Divûm et caelestia pabula, cantus.
  Hi dias prono venerati corpore primum
Exuvias, sanctosque artus, sacrataque busta;
Pars circum, vigilum de more, residere visa;
Pars et solliciti circum, trepidantibus alis,
Itque, reditque viam, reducique ostendere flammae
Antiquum veluti hospitium, sedesque relictas
Occupat. Ecce autem immensos per luminis orbes
Tota repente patet domus omnipotentis Olympi;
Caelicolumque cohors omnis ruit ordine miro.
Qui superas tenuere plagas a sidere primo,
Caelestes penitus nullo sine corpore mentes,
Hoc agmen primum. Dextra, laevaque sequuntur
Quotquot per mundi casus, variosque labores

Tempore non uno attritos, dignosque repertos
Divûm sorte, recens atri de faucibus Orci
Eripuit scandens redivivus, morte subacta,
Victor Homo, caeloque inhiantes intulit alto.
  Hos inter medius, puraeque simillimus aurae,
Quam nebulas inter, stillantes inter et imbres
Matutinus agit Sol densa cacumina contra,
Spiritus ecce redux, Divae caelestis imago,
Parsque sui melior, quam contra sidera pallent,
Pallet Luna, et quidni Phoebus, luminis auctor?
  Vix dum reginae astiterat coram ille jacenti,
Et placidos oculos, spirantiaque eminus ora
Nosse datum; videas totos se infundere in artus
Gratantem, telo et levibus velocius auris.
Talis fumantem iam dum, penitusque calentem
Sedula flamma facem repetit, fuit unde revulsa.
Illa facem repetit, vento adnitente secundo,
Orbibus implexam variis atque occupat omnem.
  At regina levi facilis velut excita somno,
Impatiens et iam tellurisque, moraeque,
Evehitur praepes nati subnixa lacertis.
Ingeminant Superique melos, plaususque sequentes,
Quadruplicique sonat totus de cardine mundus
Miratus lucemque novam, insuetosque triumphos.
Tantaque pars Caeli Caelo sic reddita tandem.

IV.

In Rosarium Beatae Virginis puerorum.

PRODROMUS.

Quid faciant, dulces primum cum linquere nidos,
Insuetasque polo, vix plumescentibus alis,
Credere se parvas cogit natura volucres?
Quae prior excipiat plaga? vastine aequora campi?
An magis umbriferi, nemorosa cacumina, saltus?
Stagna petant, an qui plenis de cornibus amnes
Inter saxa fluunt? an lenis murmura rivi?
Quis primum incertis nativas indicet escas,
Et quî seu milvi, seu diri a dente colubri
Imbelles caveant aversa a sepe latentis,
Saepius et docti folia inter fallere, et herbas?
Matrem ergo circum volitet placidissima turba,
Numquam et maternis velli patiatur ab alis.
Remigium alarum, tali praeeunte magistra,
Addiscant primum, discant tutosque recessus,
Accipitrisque minas caute praevertere flexu,
Venantum vitare dolos, vitare colubri,
Quae porro et generi apta suo sunt, quaeque repugnant.
Et nos, Diva Parens, rudis, îmbecillaque pubes,
Sed tua, sit quaecumque licet, dare nomina ponto
Cogimur. heu! quanto, et quali committere Caelo
Corpora! nunc primum doctas agitare choreas,

Pierios

Pierios tentare modos, procedere coram
Praecipimur pueri, crimenque vel hiscere contra.
Quine modos ergo, quive argumenta modorum
Prômat inassuetis, delectandique viam quam,
Sive artem insinuet quamvis, simul atque docendi?
Sunt etenim sanctae haec Helice, et Cynosura
Poesis!
In te spes, Virgo, nostra inclinata recumbit,
Si tua non frustra veneramur numina nati;
Non ingrata tuis si tura adolescimus aris
Quaque die matrem, ac dominam multo ante
precati:
Si non de merito, de paupertate sed ipsa,
Nutrimenta sibi clementia denique poscit.
Interea hoc vocis quodcumque, lyraeque sonabit,
Sit quamvis exile, tuis iam, Diva, tuere
Auspiciis, facilisque adsis puerilibus orsis.
Nec te tantum operi, pulcherrima, adesse, rogamus,
Argumentum operis quantum te optamus et ipsam.
Sic duplici titulo insignes, et numine, Virgo,
Nempe tuo, et laudum, quod maius, mole tuarum;
Quid pendemus adhuc animis, frustraque moramur?
Ergo, quod faustum, per amoena rosaria matris
Ire libet natis. Tenero quis pollice flores
Carpere, si possint, valeat prohibere volentes?
Quosve magis campos, nativo denique iure,
Gusmani deceat versare Parentis alumnos?
Ille latus fessum, posita cervice, recumbens,
Hesternis, ut mos, curis attritus, ad arae

Spondam imam, tacito repetunt cum sidera lapsu
Occasum, magni flammas metuentia Solis,
Ingentem gravis evolvit sub pectore molem.
Caerula quâ Ligeris summis de montibus unda
Exilit, hinc et quâ Rhodanus Pater incitus alveo
Defluit, inde et quâ praeterfluit arva Garumnae
Longe amnis, circum et Braccatas alluit urbes
(Braccatas olim e braccis dixere priores,
Martius at longo nomen post tempore Narbo
Detrivit) saevis iam dudum Aquilonibus actam
Miratur Petri cymbam, tantumque fatiscens
Huc non usque latus pelagoque, hiemique dedisse.
Quid non tentatumque viro, exhaustumque laborum est,
Si quâ vim venti tenuare, minacibus undis
Occursare datum? tenuis nec gloria certe,
Oceano in magno septem durasse per annos
Impavidum, vento nec de uno parta tropaea,
Evasi et toties scopuli, domitaeque procellae.
At belli caussas ipsa ut victoria saepe
Sufficit usque novas; positis sic fluctibus ille,
Densari nubes iterum, totumque cieri
Altius ex imis miratur sedibus aequor.
Divina humanis nullo discrimine cernas
Permixta. Hinc morum nulla, una aut norma voluptas:
Hinc et cuique Fides pro moribus. Omnia foedis
Plena libidinibus, Divûm nec parcitur aris,
Quo matri Idaliae, heu facinus crudele! litetur.
Sed quid non ausint, putrido qui rodere dente

Mores, Virgo, tuos ausint, sanctumque pudorem,
Unigenamque tuum sceleratis addere moechis?
Quin et bina Deûm meditantur monstra, suisque
Retibus implicitos, flagrantesque ignibus ambo,
Et quae quis memoret, quem et non memorasse
pigebit?
Haec animo noctesque diesque recurrit imago,
Sollicitatque virum: haec lacrimas ciet ore perennes.
Quamquam non ullo rerum discrimine frangi,
Non dare terga metu, manet alta mente repostum.
Quin dudum, nisi nobilior rerum ordo resistat,
Quod superest vitae, per vulnera mille dedisset.
Ergo dum votis supplex pia numina, teque,
Ut mos, sollicitat, Virgo, studiosior unam,
Quo tandem lapsis detur succurrere rebus;
Dum fluit uberior lacrimarum vena per ora,
Et nova molitur poenarum inventa per umbras
Crudelis sibi, ut haud alias crudelior ante:
Ecce tua ante oculos, Mater, caelestis imago
Visa repente viro, summis pulcherrima qualis
Caelicolis, et quanta soles. Duodena per orbem
Astra ibant, properat dum lambere Cynthia plantas,
Atque suo circum Sol totam nubit amictu.
Adsuetum quamvis, sanctus circumstetit horror,
Spemque, metumque inter passim praecordia nutant.
Ipsa animum firmas, diis et pectora mulces
Deliciis, superis quae pabula nota ministras.
Talia dein faris, queis et mulcere Leones,
Moerentesque Umbras valeas perducere ad auras.

*

Pugnatumque satis, satis et felicibus armis.
Ergo immota tui superant, immota tuorum
Praemia, qui longo subeant post ordine Patrem.
Sed nova sunt ineunda tamen tibi bella, novisque
Nunc opus est armis. En, accipe: vince: perennes
Duc Styge de tota, subeas quocumque, triumphos.
Dixerat; et niveo porrexit pollice sertum,
Quod dedit esse suum, percusso foedere, in aevum.
Accipit, et quas ille potest, pro munere grates
Rite refert, divae delibans oscula dextrae,
Et dono pariter. Parvum digesta per orbem
Miratur natique Dei, caraeque Parentis
Gesta. Triplex orbem series partitur ab aequo
Limite: cuique sua atque insignia. *Gaudia*; primae
Inscriptum videas. *Dolor*, uni. *Gloria*, et uni.
Ordine quo fortasse Patrem, et mirabile Verbum
Patris, et amborum ex aequo spirabile numen,
Diva velit parva rerum sub imagine claudi,
Naturae tamquam ductos unius ab orbe.
Prosequar, et serti paucis ex ordine partes,
Ut potero, expediam, faveat modo Virgo volenti.
De Caelo primum ops venit imploranda superne:
Ecquid enim miseri sine numine possumus omnes?
Et trinus cum laude Deus per secla canendus.
Sit licet ille Deus, caeli cui regia sedes,
Sed Patrem tamen hunc nostro de jure vocandum
(Quod nostri assertum nobis de sanguine Fratris,
Ejusdemque Dei), ignoret sine crimine nemo.
Hinc quinae seriem Decades ex ordine in aequas

Quamque secant partes, Decades sic nomine dictae,
Quod jubeant decies castam salvere Parentem,
Quo pavitantem olim juvenis ditavit honore
Aetherius, Matremque Dei veneratus ab alto est.
At veluti inscriptus notat intervalla viarum,
Solamenque Lapis fessis praestare videtur;
Sic decimo quovis almae Genitricis honore
Decurso, lassis veluti cessare parumper
Praecipitur, trinoque Deo per secula laudes
Dicere, caelestemque iterum exorare Parentem.
Sic vires auctos, digitis hinc inde magistris,
Pollice per nodos recto super, indice subter,
Haud umquam matris laudes iterasse pigebit,
Integrum donec ter quinquagenus in orbem
Sit numerus plenus. Numero mysteria deesse
Ne sua credideris. Totidem, solidisque diebus
Et Tellurem olim magnam, quâ quâ patet, omnem,
Armeniae longe superatis montibus ante,
Quae mare, quae fontes, quae flumina, quaeque per auras
Adnatat hac illac, et aquarum quidquid ubique est,
Alluit, et circum praerupta fluxit abysso.
Nec cuiquam super insanos evadere fluctus
Posse datum, quem fida Noe non clauderet Arca:
Nec sine te, Virgo, vitae naufragia quisquam
Vitet, et aeternos valeat contingere portus,
Cum sis una salus, et Foederis Arca superstes.
Sed frustra labor hic omnis, frustraque recurrent
Per nodos digiti celeres, laudumque susurrus

Plurimus ore fluet, sociam nî jungere mentem
Sit verbis tibi cura prior. Tu collige totam,
Atque intra jubeas te sisti sedulus unam,
Dimissis aliis, quo tecum gaudia Matris,
Perque vices Nati funus, Natique triumphos
Perpendas tacitus, parilique sequaris amore.
Tramite non alio rosei contingere serti
Munera posse datum, optatos et carpere fructus,
Ignavo fructus arcendos usque palato.
Hoc opus, iste labor. Gusmani mens, animusque
Tenditur huc omnis: tendentem haud cura fefellit.
Scilicet inversam rerum tu protinus omnem
Mireris faciem, et nova prorsus fata recludi:
Quem et tanto adgressi toties molimine, quique
Restitit hostis adhuc vires arcessere visus
Caedibus ipse suis, quâ quâ dare terga videres,
Incertum, quo se vertat, quibus ipse latebris
Se condat. Nempe ex illo jam tempore clades,
Non bellum fuit. Imperii et vis tanta, tumensque
Fama brevi cecidit nullo reparabilis aevo.
Hactenus haec pueri: nostrum quo coeptaque nostis,
Et quo mens nobis, tenues intendere vires.
Ergo quod superest, linguis, animisque favete.

V.

Vesuvius.

Hic ubi ceratas robusti pectoris aures
Indignans, pelago nomen moritura reliquit
Parthenope, quâ vasta patent procul aequora campi;
Atque ubi praerupti prohibent fastigia montis
Tendere contra oculos aliâ de parte volentem:
Vulcani ecce domus, sedesque antiqua Cyclopum.
Huc illi chalybemque viris, magnoque Deorum
Tela parant Patri: magnâ vi brachia tollunt,
Ictaque dat sonitum ferrato pondere massa.
Erumpunt passim summo de vertice flammae,
Incursantque polo, crepitantque bitumine crebro.
Obruit interdum liquentes, aethera, campos
Caligo, mediâqe adparent fulgura nocte,
Queis Pater omnipotens summa dejecit ab arce
Conantes olim super addere Pelion Ossae.
O procul hinc miserae, procul hinc abscedite, matres!
Quid miserae, frustraque piae, quid tecta domorum
Vellitis, et thalamos haerent cur brachia circum?
Quid juvat, uberibus teneros adjungere natos,
Effugiumque malis fiducia sera moratur?
Una salus, si qua miseris est cura salutis,
Et patriam, dulcesque Lares, notosque Penates
Linquere, et iniussas trepidis confideret plantis.
Fervet opus. Ruptis, montana cacumina fumant,

Obiicibus ; qualisque adverso cuspide adacta ,
Panditur ecce Erebi domus omnis , et ima dehiscunt
Tartara , quo videas vasta fornace liquentes
Et chalybis , plumbique amnes. Huc vecta putares,
Quae mare , quae tellus abstrusis condita venis
Concipiunt , retinentque diu concepta. Tremendus
Aestuat , et late loca fervidus omnia complet
Vortex. Sternuntur passim pecudesque, hominesque;
Arescunt sata culta procul , vitesque maritae.
Praedurae quercus quin ultro corpora flammis
Obtendunt, ustisque ruunt radicibus ulmi.
Obriguere omnes , ulularunt vertice Nymphae,
Hircanosque ferunt haec persensisse Leones.

Qualis ubi hinc inde, evasis jam finibus , amnis
Turbidus imbre ruit , viresque adquirit eundo:
Pastores trepidi , quae proxima , culmina scadunt:
Quisque sibi metuit : cogendi nulla superstes
Cura pecus: summo stupet inscia vertice turba,
Et platanos , humilesque casas , camposque patentes
Divelli : obtrudi nil posse ruentibus undis.
Tales obtutu quisquis defixus in uno
Haerent , et tacita lustrant incendia mente.
Ora vacant lacrimis ; nullus ferit aethera clamor ;
Obstupuere omnes ; rapiuntque pericula mentem.

Mulciber interea flammis alimenta ministrans
Horrendum tonuit , totamque exterruit urbem,
Summa bituminea jaculatus grandine tecta.
Tum vero Lunam , fulgentiaque astra videres
Pallida per noctem retro dilapsa referri.

Tenditur illa tamen, circum et Nili ostia septem,
Multa calescenti Lybiae se immiscet arenae.
Eccé autem emensus tandem jam rura beata
Igneus amnis adest, et littora proximus urit.
Ter liquidas Ponti conatus pergere in undas,
Terque pedem retro tulit. Ingens imminet oris,
Cunctaturque, novis donec jam viribus auctus
Influit, et pleno Oceanum subit arduus alveo.
Quales Amsancti, torpentia stagna, Mephites
Dum fervent, surgit fumosus ad aethera nimbus,
Arboribus, pecorique lues: sic murmurat unda,
Aestuat, et fugiens inimica elementa recedit.
Pars abit in pontum, pars se se attollit ad auras
In tenues invita prius resoluta vapores.
Aequoreum immugit pecus; imo e gurgite Protheus
Clamat, et insequitur fugientes litora phocas.
Tum vero exoritur clamor, gemitusque virorum
Porticibus, vacuoque foro, et per tecta domorum
Feminei resonant ululatus; ultima donec
Succedat pietas animo, pacemque precari
A superis statuant; superis nam cura piorum est.
Nec mora. Templa adeunt, lacrimisque calentibus instant
Et foedare genas, et tundere pectora palmis.
Haud secus e puppi luctantes navita ventos

Postquam suspexit, tempestatemque sonoram,
Et quo se vertant, anceps, Notus acer, et Eurus,
Sistitur, et tacito condit sub pectore curas.

Naviget, et quo monstrat iter, fortuna sequatur?
Aut emensa magis pertentet itinera rursus?
Post ubi conspexit, praecingi nubibus altum,
Igne micare polos, misceri fluctibus aequor,
Praecipitesque ratem ventos impellere saxis;
Tum vero adsurgit supplex ad sidera clamor,
Caeruleamque vocant Thethyn, Nymphasque sorores.

At seras etiam (ecquid enim non vota precantum,
Externatumque evincat miserabile vulgus?)
Audiit ille preces, magnum qui torquet Olympum,
Et quo tendebant, vetuit procedere, monstra.
Diffugere umbrae, redduntur sidera caelo,
Et face tergemina litus percussit Eoum,
Hesperiumque latus, nutuque coercitus amnis.

Non secus imbelles capreas, cervosque fugaces
Si quando praeceps Hyrcana per avia Tigris
Insequitur, quos jam rabido prope dente fatigat:
Tum si forte cavo surgens inopinus ab antro
Prosilit insignis pharetra venator, et arcu;
Sistitur, et pictam pharetram, vultusque minaces
Admirans, iras ponit, pavor occupat artus,
Nativumque petit fugiens praedae immemor antrum.

MARIANO MONTEFUSCO

EPIST. I.

Tantane te nostri, Mariane, oblivio cepit,
Ut neque si superem, nec quo sub sidere caeli
Vita fluat, quaeras, nec quae nos detinet ora!
Usque adeone piget nostri meminisse, praeire
Officio ut cogas semper? nusquam obvius ultro
Occurras? velli tibi semper oporteat aurem?
Dic age (nam tibi non sine pectore corpus, et aequi
Iura, bonique Foro in medio discludere nosti)
Ius quanti sit amicorum? quo foedere utrimque,
Inter se coeant? aequone putas, an iniquo?
Aequum nempe voles, si quid distabit amicus
A servo, distatque equidem, nî fallimur, una
Plus ulna, fortasse magis. Teneo, atque tuo te
Iam mucrone petam. Nisi terque quaterque rogatus,
Aeternum, Mariane, siles, victusque pudore
Officio sic te reddis, veluti aere gravem, quem
Nî rapias, totos frustra expectaveris annos.
Sed tibi non is ego, qui tu mihi, durus, et usque
Immemor, ignavus: quamvis et sic quoque carus,
Sed fortasse minus, nisi in hoc quoque sum mihi falsus.
Talem nempe Dii mihi te statuere volenti!
Iam nunc deque Domo referam. Res plena laboris,
Quaeque mihi loculos leviores aëre fecit,

Non equidem crasso hoc nostro, quo mille feruntur
Hac illac atomi fluitantes, vanaque idola,
Verum illo tenui prorsus, vacuoque Renati.
Sed tamen utcumque (haud etenim intractabile vulnus,
Tractare est animus) nil, quod desideret ultra
Artificum, est. Iussi dudum hi sua quisquis habere.
Uno eget incolumi domino, salvis et amicis.
Accipe sed paucis deformatam: inde valeto.
Ad Solem recta, media cum sistitur arce,
Respicit. Adsurgunt circum per amoena locorum
Vitiferi colles, oleaeque, et munera passim
Pomonae, et laeti irriguis cum fontibus horti.
Parva, sed apta mihi, paucisque sodalibus apta.
Cetera, laeta quidem; hoc unum non laeta, dicatam
Quod sine te, sibi te sine contigit hactenus esse.

AD VIRUM AMPLISS. IOSEPHUM ZURLUM.

EPIST. 2.

Poeta, et Ianitor.

Po. Scin? quartum pedes huc redeo. Via non brevis: imos
Defluit ad talos sudor de vertice. Nullum
Suppetit arbitrio tempus: mea sunt mihi namque
Pensa diurna, queis nulli, salvo officio, me
Absolvant homines, qui me teretem, atque rotundum
Esse jubent. Dominum haud longo sermone morabor

Praeterea: satis est horae pars quantulacumque.
Iussus ad haec venio, quod te meminisse, necesse est,
Quo delata recens haec sunt mandata sequestro.
Ian. Nempe ais. Et memini, et fateor. Vellere parce
Auriculam. Usque adeone mei immemor? immemor immo
Usque adeone tui, rerum dulcissime? dudum
Si nescis, tua te virtus mihi fecit amicum.
Quippe hominem novi, qualis non cetera turba,
Et Dominis pol, et Dominûm metuenda ministris.
Tangere sic raro, sancteque haec limina vidi,
Vix quantum officio satis est. *Po.* At, amice, beas me,
Talia, qui narras nil de se tale putanti.
Scilicet haud impacati tu Ianitor Orci,
Quem miser offendi nuper! Vix fuste, manuque
Abstinuit, torvis oculis, vultuque tremendus.
Dî, caput a somnis procul hoc avertite nostris!
Sed tibi tanta tuo subsidit gratia vultu,
Tantus honos, quantum satis advigilare, superque
Liminibus superûm! qui sustentare fluentem
Iunonis caudam valeas! qui desilientem
De curru Venerem cubito fulcire decenter!
Sed volat hora: sinas: Dominum accersitus adibo.
Arripioque viam. Tenet ille, ac tendere frustra
Admonet. Hui! quid ita? an mecum sic ludere gestis
Ipse vocans, revocansque idem? *Ian.* Non ludicra res est.
Mane mihi primo Domini haec oracula lata:

Ingreditor nemo. Graviora negotia, quaeque
Differri nequeant alio, tractanda. Redire,
Hoc si cui sit opus, liceat. Po. Sed quando licere
Id mihi posse, putas, bone, dic; qui talia semper
Tendis,et ad liquidum nihil est perducere quidquam?
Ian. Cras equidem. Sic censeo. Quis vetat? oreque tanta
Mella fluunt, quanta Hyblaeos vix condere credas
Posse favos. *Po.* Verum, quando id per te licet, uno
Plus mihi *cras* debes. Debebis plurima porro,
Callidus atque rotam porro versabis eamdem.
Aedibus appicto cauponem carmine quondam
Novimus, emptores vafrum sic ludere siccos:
Nil hodie, nisi praesenti hinc fas tollere nummo.
Non ita cras. Eadem perstabat mane tabella,
Ut si quem loculis vacuum sors truderet illuc,
Idem ventre domum remeandum sciret inani.
Non sibi verba dari lusus semel hospes hiante
Cum stomacho sineret, noto jam carmine amici.
Tu quater accîtum quater hic abscedere cogis
Demissa auricula, durae ut cervicis asellum,
Frangis et ad reditum nervos radicitus omnes.
Ergo mî valeas, bone Ianitor. Haud mihi tecum
Res erit ulla dehinc, nostraeque aeterna crumenae
Iam nunc esto quies. At non sic missus abibis
Interea, ut capitis quavis mercede solutus
Impune exultes. Quinas do: do tibi quartas.
Quin ternas, binasque sciensque volensque remittam.
Ultra si poscis quidquam, frustra es. Mihi primam

Eripiet nemo. Quota pars haec denique tanti ?
Quam non obiicias ultro ? *Ian.* Quae denique ? *Po.*
Prorsus
Est operae pretium, ut lateat. Vix noveris, omni
Foenere jam liber, ceu fracto carcere nexus,
Insulsum salsus merito ridebis amicum.
Unum te volo nunc, quod detrectare nefas sit,
Si quid te curas. Domino hoc quodcumque apinarum
est
Sedulus, ut tibi mos, nostro de nomine reddas.
Si vacat, abrumpat paullum sic seria ludo.
De reliquis, alio tecum mihi sermo redibit.

ELEGIARUM

LIB. I.

Poesi initiandus Beatae Virginis, Custodisque Angeli poscit auxilium.

ELEGIA I.

Iam puer incipiam teneros componere versus,
Si faveat puero virgo Maria suo;
Aliger et faveat Custos cum Virgine, Patris
Cui semper faciem posse videre datum.
His ego sideribus scopulos evadere possim,
Quos Vatum raro credula turba cavet.
Aequore sub placido quot Scyllae, quotque Charybdes,
Quanta sub humano corpore monstra latent!
Si faciem spectes, facie nil pulcrius illa;
Si vocem, nihil hac dulcius aure sonat.
Moribus interea nec pestis tristior ulla,
Nec virus pueris exitiale magis.
Sic medios inter flores latet anguis, et herbam,
Sicque favos inter dira venena latent.
Atqui ego, si faveas, bone Custos: inter at omnes
Si faveas coeptis, candida Virgo, meis;
Musarum sine fraude puer libavero mella,
Permessi flores tutus ab angue legam.

Mater

Mater Virgo ad Elisabeth pergit.

ELEGIA 2.

Nunc agite, o socii, Dominam comitemur euntem,
Protinus Hebronis nos juga summa vocant.
Et sit longa licet via, sit non trita, sequendi
Non tamen haec studium sit cohibere satis.
Spargite humum casia, molles et sternite flores,
Ne laedat teneros semita dura pedes.
Vos hiemem, Zephyri, tepidi et mulcete Favoni,
Algida ne dias torreat aura genas.
Et tenera, et tanto haud assueta puella labori est,
Et Virgo, et Mater virgine ventre gerit.
Et bene processum est. Hebronis moenia cerno,
Moenia sacrificis sancta colenda viris.
Liminaque adparent agnata sororis Elisae,
Limina ter magnis terque beanda bonis.
Vix ea se credit plantis male firma senecta,
Quae thalami nullo foenere vincla tulit:
Et gravis incedit, sexto et sub mense laborat;
Matrisque in gremio subsilit ecce puer.
Quamvis ille puer, Matrisque coercitus alvo,
Adventus, Virgo, sensit adesse tuos.
Virgineo sensit claustro mirabile Verbum,
Cujus et ipse vias occupat ire puer.
Depositis, novus exultat, prodireque gestit,
Tristibus antiqui criminis exuviis.

Et quas ille potest, tanto pro munere grates
  Solvit, et in Domini prosilit obsequium.
Numine quo pariter correpta et mater Elisa
  Assurgit Dominae protinus ipsa suae.
Tuque, Soror, nostros, ait, invisura Penates,
  Ut tam longinqua de regione venis?
Plena Deo! quali nostram dignaris honore
  De te nil meritam, conspicuamve domum?
Atque equidem sensi nostra puer abditus alvo,
  Et sensi mater, subsiluisse sinu..
O matres inter salve pulcherrima mater!
  O felix salve virginitate tua!
Nec minus et Domini contenta ancilla vocari
  Diva Parens studio certat, et officiis.
Et Patri sua magna refert accepta potenti,
  Munere de cujus depluit omne bonum.
Respicit ille humiles animi, pellitque superbos,
  Et dignos, quos non invenit, ipse facit.
Gentibus idcirco dicendam jure beatam
  Se canit, humanum quâ genus omne patet.
Pollicitumque canit Patribus per secula nomen,
  Clarius unde Abrahae nomen in ora sonet.
Talia dictabat pleno de pectore mater;
  Excipit admirans numine plena Soror.
Nec tacitis jam incrementis it gratia circum
  Baptistam, et mutum, non sine matre, Patrem.
Haec genus in nostrum matris pia munera prima,
  Ut primum mater sustinet esse Dei.
Nec sine matre dehinc speret quis munera nati,
  Quo sine et ad Patrem semita nulla patet.

In Diem Domini natalem.

ELEGIA 3.

Dicamus bona verba. Procul, procul este, profani:
Dent sacra divinos plectra canora modos.
Sancta Dei sacri colimus natalia vates:
Quisquis ades, multa cum prece tura dato.
Tuque, o dive puer, genitoris amabile Verbum,
O toties nostris spes data certa malis:
Gaudia cur mundi differs, cur vota moraris?
Exacto nonum Cynthia ab orbe redit.
Aspice, quae tantis jactatur vita periclis;
Aspice, quae reprimunt turpia vincla manus!
Aeternum regno dejectos, omnium egenos,
Iurata in nostrum tristia quaeque caput!
En umquam miseris longo post tempore tandem
Amissas sedes cernere posse datum!
Ut duro quercus manent de cortice nectar,
Ut silice e duro roscida mella fluant!
Candida nec saevos metuant armenta leones,
Et cythisum carpat laniger ante lupum!
Aspera nec molles scindant dentalia glebas,
Nec bos incurvum mugiat ante jugum!
Carpe viam, Ioseph, conjux et pone sequatur:
Hesperus umbrifero proximus igne micat.
Spargite nunc, pueri, violas, et spargite flores,
Et rubeat tyriis semita picta rosis.

Hinc procul absitis spirantes frigora Cauri,
    Et qui marmarico surgis ab axe, Note.
Surgite, vitales aurae, Zephyrique tepentes,
    Inque vicem, volucres, suave ciete melos.
Quid loquor ah! demens? surgit nimbosus Orion,
    Et gelido noctem turbidus imbre tegit.
Iam Boreas, Eurusque furunt, jam saevit et Auster,
    Omnia et hinc Aquilo miscet Hyperboreus.
Quae vos excipiet tellus, quo fata vocabunt,
    Care senex, senis et blandula Virgo comes?
Nec vobis fulgent pictis laquearia gemmis,
    Nec nitet attalicis nobilis aula thoris.
Parva licet, procul hinc distat domus. Heu domus!
        impar
    Ipsa quidem merito, par tamen officio.
Hospitiique potest jus urbs cognata negare?
    Et Caeli tanta parte carere potest?
Surge, Bethlem, ex humili: non parva vocaberis
        ultra:
    Praecipuis jam nunc Urbibus adde caput.
Est tibi declivis muscosa e rupe caverna,
    Quam super irrumpens saepius unda cavat.
Pastor eam novit, prona dum increscit ab Arcto,
    Vitreaque egelidus flumina nectit hiems.
Et novit stygius nocturno tempore bubo,
    Omenque e nudo vertice saepe dedit.
Non alio superûm quaerenda est regia regi.
    Non eget adscito lumine stella Jacob.

Ecquid enim terrena petat, caelestia linquens,
Aut quae pro tanto par domus hospitio?
Ergo regalis pueri lactentia membra
Accipias, famae pignora certa tuae.
Nonne vides, et quanta tibi descendit ab alto,
Et quantum resonat candida turba melos?
Gloria summa Deo summi de vertice Olympi,
Et pax in terra, queis bene velle datum.
Sedula nec tantum Aligerûm mens, splendida pubes,
Obsequii praebet munera justa sui:
Omnis at in pia vota ruit stellatus Olympus,
Insuetaque homines verberat ecce face.
Scilicet haec tanti mittenda est nuntia facti,
Qua sua demittit tura remotus Arabs.
Et veniet tempus, terno cum munere dives,
Submittet regi colla remotus Arabs.
Tantumque interea numen veneratur asellus,
Flectis et obductum, blande juvence, genu!
Flecte genu, mortalis homo tibi nascitur Infans,
Nec refugit generis tristia signa tui.
Turpe sit, obsequio tecum contendere bruta:
Turpius at vinci a talibus obsequio.
Flecte genu; summi recole incunabula regis;
Mille inter lacrumas oscula mille dato.
Haud illi e Coa contexta est fascia bysso,
Murice cui Poeno stamina tincta rubent.
Nullus et a cunis miles regalibus arcet;
Et nulla arcani jura ministerii.

Omnibus ille patet. Si quem accessisse pigebit,
Hic est unus obex, unicus iste dolor.
Aspice, qualis honos oculis! sub paupere cultu
Quantus percurrit singula membra decor!
Uviduli quamquam lacrimis fundantur ocelli,
Asperaque in multis stramina membra terant;
Haec tamen in nostram certus perferre salutem,
Carior in poenis cernitur ille suis.
Heu! quid non tantis rumpuntur pectora rebus!
Praeduro heu! saxo pectora dura magis!
Tene, puer, caelorum aditus, te pabula divûm,
Gaudia te summi linquere posse Patris?
Sed pinguis licet obducat praecordia sensus,
Et mentem multo noxia culpa gravet;
Non ego firmus in hoc. Emollit gratia pectus;
Quandoquidem tangunt et benefacta feras.
Non est pro meritis tibi quidquam aequale referre:
Quod possum, refero: Non redamasse, piget.
Unum, prae cunctis, et totum semper amabo
Totus, et hoc aevi, quod fueritque super.

Tytirus.

ELEGIA 4.

Forte sub annosa consedit Tytirus alno
Solamen quaerens ah! miser ille malis.
Et circum rauci miscebant murmura rivi,
Et tenerum flebat devia carmen avis.
Strata patet via funereis hinc inde cupressis,
Insuetusque horror compita cuncta tenet.
Plura animo occursant aegro, et circum omnia lustrans,
Ergo.. sic orsus dicere, et abstiuuit.
Talis Cerva haeret, gelida quam vidit in umbra,
Vidit, et incautam plurima turba premit.
Sed tandem haec utcumque gravi de pectore fudit,
Quaeque miser cecinit, mox levis aura tulit.
Tantane te, Damon, nostri indignatio cepit?
Tantisque obruimur criminibus pueri?
Atqui ego: si quid me merito vis tale merentem,
Admittenda tamen pars quoque nostra foret.
Nec mihi quod statui nil pro me dicere, prona
Murmura sic fuerant aure bibenda tibi.
Scilicet haud senui ventis firmissima quercus,
Nec quocumque rapit ventus, arundo feror.
Conscia quem scelerum stimulat mens, garriat ille:
Integrum vitae conticuisse juvat.
Imbelles damae, quoniam natura negavit
Arma, sumus miseri praeda voranda canum.

Atqui ego pauca loquar: paucis gaudet dolor; et quae
Non linguae, at cordis sint subitura vices:
Sero, non frustra, puer et do vela carinae;
Vela tamen ventus quae meliora regat.
Dixerat. Hinc roseus primum pudor inficit ora:
Hinc pallet: demum frigidus ille stetit.
Sic Phrygiae steterunt, occiso Fratre, Sorores,
Orpheus et rapta sic stetit Euridice.
Languida vix tandem vis est reddita membris,
Addidit extremis talia verba notis.
Audistin, quae moesta tibi nunc carmina solvit,
Quos et sic potuit Musa referre modos?
Oh! nobis utinam meliori fata dedissent
Tempore Parnassi scandere posse juga!
Queis te migrantem nostris sequerentur ab oris
Carminibus Nymphae, silvicolaeque Dii!
Te Satyri, Faunique leves, montanaque Oreas,
Te Dryadum choreae, Naiadumque chorus.
Quid loquor infelix, et ventis irrita jactem
Vota? Ille e nostro litore laetus abit.
Et tu laetus abi, nostro sine carmine felix,
Dirigat et cursus stella benigna tuos.
Et majora animi volvebat Tytirus aeger:
Curarum at fessus pondere conticuit.
Tristes franguntur calami, leviterque cadentem
Excepit trunco quercus amica suo.

Catonis indignatio

ELEGIA 5.

Ergo ubi cuncta videt retro dilapsa referri,
Caesaris et fato cuncta dedisse Deos;
Ipse tamen, tamquam si stet sub vertice pinus,
Restitit. Hinc tales reddidit ore notas:
Cui tu, cara Deûm soboles, Mavortia proles,
Cui tu fraterna moenia caede locas?
Felix heu! numquam si nobis Roma stetisset,
Postquam cuncta Dii Caesaris esse jubent.
Vince mari, Caesar: tua jam tibi subdita Terra est.
Quin Caelo meritos deripe, crude, Deos.
Quo ruitis, Decii? tua quae tibi, Scaevola, mens est,
Lustrasque immeritam turbibus igne manum?
Quid tu fatales frustra peritus hiatus,
Curti, exples? rident fortia facta Dii.
Et Gallos frustra pepulerunt Urbe Camilli;
Subsidium Romae corvus inane tulit.
Vanus et ille fuit, Pontem qui vellere tergo
Iussit, quique tuos, Brute, bipenne feris.
Tarquinius alter romanas occupat arces:
Captivis tacitus noster it amnis aquis.
Et Pompejus adhuc nuda procumbit arena,
Umbraque, proh facinus! errat inulta viri?
Prospiciunt nostris Divûm sic numina rebus
Scilicet! in tantum haec sollicitantque bonos!

At vos, o Patres, vacuum et sine robore nomen,
Heu! quondam Ausonii norma, decusque soli:
Vos nunc purpureo lauros properate Tyranno,
Accipiant ultro jam sua vincla manus.
Nos moriamur, ait: lethum non omnia finit,
Et sua post funus fama viros sequitur.
Interea hos nostro titulos inscribito cippo,
Funerea e flamma qui pius ossa leges.
Salvete, o cineres, et libera busta Catonis.
Olli, cum posset vivere, turpe fuit.
Turpe fuit, patria sic libertate perempta,
Romani vacuum Civis habere sonum.

Somnium

ELEGIA 6.

Dî faciant tandem, nec sint insomnia vana,
Candida quae ingessit, nocte ruente, Deus.
Te modo, cui clarum de sanguine ducitur omen,
Sanguine et incedis clarior ipse tuo;
Laus erit ad nostras modicum descendere Musas,
Dum tibi summa brevis redditur historiae.
Me Cyrrhae Dominus, Tenedosque, Heliconius Augur,
Auspiciis tutum praecipit esse tuis.
Insopita etenim curarum fluctibus acto
Pars protracta mihi maxima noctis erat.

Pronaque jam tremulis properabant ignibus astra,
Aurora et flavis ire parabat equis;
Ecce mihi ante meum visus consistere fulcrum
Insignis facie, caesarieque Puer.
Sic micat interdum Caeli inter nubila Phoebus,
Sic improvisa verberat ora face.
Candidus, et multa redimitus tempora lauro,
Candidus et multo gratus odore venit.
Pendebat curvus juvenilibus arcus ab armis;
Gestabat docta plectra canora manu.
Ut Phoebum facile suus inde agnoscat alumnus,
Miles ut agnoscit martia signa ducis.
Blandis ille prior totum me lustrat ocellis,
Nostris inde suas inserit ipse manus.
Hinc caput ad dextram quatiens, atque inde sinistram,
Pectora demulcet talibus aegra notis.
Tene, sacer vates, nostrum non ultima cura,
Imperio exercet turba inimica suo!
Hinc totos macies sensim dominatur in artus,
Inde brevis vitae semita facta tuae est.
Nec jam nostra tibi sunt ultra munera curae,
Omina nec famae tam bene capta tuae.
Aeger, iners, anceps virides inglorius annos
Transigis, ingratum pondus et ipse tibi.
Quod si summorum evertisses templa Deorum,
Ausus et in Caelum verba profana loqui;
Noxia si mensis aptasset dextra venena,
Laetifici infamans pocula sacra Patris;

Aut incestasses thalamos multo ante profatus
    Proditor immundis verba timenda labris:
Hostia fors caderes merito; fortassis et esset
    Digna vel indigna poena resumta manu.
Nunc vero (heu! genus invisum!) quod perfida mores
    Signarit falso crimine lingua tuos;
Improba non superis assueta ignoscere lingua,
    Improba non ulli non inimica bono:
Est pandis rumor captus mox auribus, atque
    Intentata licet, credita fama tamen.
Si quemquam contra verax ad sidera fama
    Tollit, et a longo tempore partus honos,
Non faciles certe descendunt laudibus aures;
    Vix patitur meritos invida turba sonos.
Principio claris aequari nomina rebus
    Pernegat, et caussas laudibus esse pares.
Aptandis ars prima dolis, aptissima et ipsa:
    Quam cupis invisam perdere, deme fidem.
Hinc culpae caussam partes rimatur in omnes;
    Si quaesita deest, ingeniosa facit.
Denique sint quaevis, artes descendit in omnes,
    Impia seu noceat, sive nocere putet.
Tartareas ultrix sic educat ira sorores,
    Atque suum colubros sic quoque virus alit.
Sic quoque crudeles pascuntur sanguine Tigres,
    Sic ovat agnorum caede lupina fames.
Atqui ego, fatorum leges, sortesque futuras
    Cui Pater omnipotens posse videre dedit;

Proloquar: Ipse meam, si forte tuae integra vitae
Tempora sufficiant, experiere fidem.
Corruet imperium; frangetur iniqua potestas;
Frangetur tandem viribus ipsa suis.
Ut si finitimas postquam percusserit oras
Subiectas fidens barbara puppis aquas;
Spumosis nil tale cavens rapiatur ab undis,
Infelix! tantum pondere mersa suo.
Tu tamen interea vires, animosque resume;
Sunt generi, Vates, omnia tuta tuo.
Audax suppositos inter Delphinas Arion
Lesbiaco gratus pectine radit aquas.
Orpheus implacidi diffringit limina Ditis,
Et laesos nostra vindicat arte thoros.
Carminibus, Polypheme, tuis, Galatea sub Aetna,
Dura licet, madidis lora remisit equis.
Sed tibi non saevi vincenda est aequoris ira,
Non Phlegetontaei, pectora dura, Dei:
Sed facilis longe ante omnes clementia Patris
Experienda magis, quam stimulanda venit.
Qui quos usque fovet, praevertit saepe rogantes,
Ac tegere oppressos, autumat esse suum.
Nec tamen et cultos non accipit ille Poetas,
Aoniis multum notus et ipse jugis.
Idalius testis Damon, et Tuscus Amynthas,
Arcas Hyas, centum et nomina nota virûm.
Ergo age, ne tantae contemnito munera sortis:
Dum sors negligitur, negligit ipsa suos.

Quaque virum ratione adeas, ait, accipe, Vates:
    Primum opus est, operis nosse tenere modum,
Prima tibi veniant a viribus omina nostris:
    Omina non norunt fallere nostra fidem.
Imparibus conjuncta modis Elegeia primum
    Audeat, obsequio sic praeitura tuo.
Audeat; ast lecti primum sit cura ministri,
    Ut grata veniat gratior ipsa manu.
Inde suus quaesitus eat non segnis et auctor,
    Non audax equidem, liber at ipse tamen.
Postmodo, quae sedeat menti sententia, dicat
    Admiscens multa sedula vota prece.
Qualia ab his te certa manent praesagia rerum!
    O te felicem terque, quaterque virum!
Dicam ego devotos ignarus fallere Vates:
    Laetus abi: Iste dehinc jam tibi numen erit.
Dixerat. Ast matutinum cecinere volucres
    Salve. Defecit lumina sera quies.

Ad Moniales Nucerinas.

ELEGIA 7.

Virginei coetus, decus altum virginis agni,
    Atque Nucerini gloria prima soli:
Quid me desuetos Parnassi quaerere colles
    Cogitis, et sacro tingere labra lacu?
Quam bene Lethaea potius demergar ab unda,
    Et Stygis invisas cogar adire vias!

Ut queat exosis animus dilapsus ab auris ,
    Si quid posse datum , vix meminisse sui.
Quin haec et si forte foret mihi cura labori,
    Protinus et memet dedidicisse velim.
Scilicet in tantum fatis urgemur iniquis ,
    Nigraque ducuntur stamina nostra colo;
Omnia ut in pejus male vertant; queisque levantur
    Mortales homines , his graver ipse magis.
Me gravat alma dies, me nox gravat atra tenebris :
    Quod vivo , hoc ipsum degravat ecce caput.
Nec me regna juvent , clarae nec nomina famae ,
    Nec quaecumque tui munera, Phoebe, juvant.
Si quid forte placet,si quid non displicet, unum est:
    Displicet ipse minus , vel placet ipse Dolor.
Ille mihi comes unus adest noctuque diuque ,
    Et regit addictum sub sua jussa virum.
Et juvat, huic vinctum Domino me dedere servum:
    Crudelis servo non erit ille suo:
Nam postquam nostros sensim attenuaverit artus ,
    Dissita nec dudum sit , precor , illa dies;
Ipse per Elysias valles , sedesque beatas ,
    Sed tamen huc idem mox rediturus , aget.
Non illuc veteres agitant praecordia curae ,
    Quas fama est , una sorbitione lui.
Post ego , quae superant nostrum , devota dolori
    Ossa velim. Inscriptus sic notet ossa lapis.
Tu sacer hic Domino jaceas, Guarine, dolori,
    Solus quandoquidem profuit ille tibi.

At vos, aeterno colitis quae foedere sponso
    Candida puniceis lilia mixta rosis;
Vivite felices: Quantum et mihi nigra trahuntur,
    Tanto vestra magis candida fata fluant.

Hypocondria

ELEGIA 8.

Pierides Nymphae, vestro succurrite vati.
    En miser in vestras creditur ille manus.
Vos deceat fesso supponere brachia alumno,
    Vos deceat medicas applicuisse manus.
Nescio quis misero subsidit corpore languor,
    Qui vetat officiis membra vigere suis.
Assurgunt nullae nostro de pectore vires:
    Mole sua pressum succidit ingenium.
Succidit immani ut tenuis sub pondere cymba,
    Succidit injusto ut pondere asellus iners.
Vix haerent species animi sub cortice primo:
    Protinus ipsarum reiicit aeger onus.
Una nec attulimus nostris medicamina morbis,
    Qualia nec sapiens improbet Antiphanes.
Non fert Antiphanes, dum corpora rite procurat,
    Languores animi negligi ab Hippocrate.
Prima animi est medicina sui. Non proficit hilum,
    Mente parum sana quae medicina datur.
Ergo animum a tetricis primum divellere curis
    Mens fuit, et variis flectere blandiciis.

Acrior,

Acrior, hesterna Veneris dulcedine capta,
Exultat quadrupes, luxuriatque jubis.
Frangitur at contra, semper qui tenditur, arcus;
Deficit assiduo verbere tortus equus.
Abruptos etiam placuit conscendere montes,
Et liquidam cursu ducere paene animam.
Interdum sidit lentum sub cortice virus,
Infelix vitae semper inertis opus.
Si sapis, hoc Baccho, hoc multo dispelle labore,
Et quacumque potes pellere, pelle via.
Nî facis, in venas paullatim illabitur omnes,
Nec sinit in propriis membra valere bonis.
Hoc caput, hoc animumque gravat, sensusque retundit,
Et somno similes cogit abire dies.
Hoc quoque vitales occludit saepe meatus,
Infectum et seri staminis urget opus.
Heu! quid inexpertum nobis, qualesve per artes
Mens non iit, si quâ surgere posse datum!
Cuncta sed expertum frustrantur cuncta vicissim,
Auctor ét erubuit lusus ab arte sua.
Num mala per nostros repsere papavera somnos,
Plumbeus aut Auster degravat usque caput?
Caucasus an nostris ingens super incubat armis,
Nostrave lethaea sunt labra sparsa lacu?
Quid juvat heu! veris caussas praetendere morbis,
Et desperatis pharmaca ferre malis?
Dum tristes anni, dum pondus vita; quid (oro)
Saltem animo, mortem concupiisse, vetat?

Nec tamen aetatis multos numeravimus annos:
    Nondum nos septem dura quaterna premunt.
Sed tamen aetatis numeramus saepe labores.
    Quamquam annis, teritur vita labore magis.

ELEGIARUM

LIB. II.

Ad Michaelem. Archang. Lupulum, Archiep. Compsanum pro mutili Corfin. tituli editione altera.

ELEGIA I.

Tarpeae rupes, invisaque moenia Romae,
    Et grave Romulidum nomen in omne caput;
Non ego, non ferar Italiae regina per Urbes:
    Non placet exemplo fama petita tuo.
Ipsa tamen vindex ego libertatis avitae
    Incedam, italici foederis atque caput.
Nam quid servitium memorem, turpesque catenas?
    Servitum satis est, et meminisse pudet.
Dixerat; atque Italûm totis subnixa lacertis
    Corfinium Romae tristia fata canit.

Quid non exhaustum est hinc sanguinis, inde
malorum?
Iam propior victis victor et ipse fuit.
Corfinium sed enim cessit. Sic fata ferebant.
Cessit; at in famam constitit illa suam.
Nam steterunt arces: steterunt et moenia: molisque
Amphitheatralis gloria tota stetit.
Aequataeque vices; aequataque foedera; victos,
Victoremque inter damna repensa satis.
Sistere quin magni potuisset Caesaris arma,
Nî Dux militibus deforet ipse suis.
Quid tamen, heu miserum! tantum exantlasse
laborum
Profuit, ac tumidum tollere ad astra caput?
Vis longe major populis, atque urbibus instat,
Quam nulla imminuant tela retorta manu!
Hora fugax, seclorum et ineluctabile pondus
Sera, sed humanis certa ruina tamen.
Nam quid Corfinii reliquum de nomine tanto
Annorum post tot millia, totque vices?
Adparent rari, vasto velut aequore nantes,
Diffracti Lapides, reliquiae Titulûm.
Quantum vel sic thesauri, si MAGNUS ALEXIS
Afforet, et medicas tenderet hisce manus!
Queis Campana tumet moles rediviva per orbem,
Laetior, et nulla jam peritura die!
Hausit at hunc etiam hora fugax. Ille occidit, eheu
Nulli flebilior, quam tibi, Corfinium!
Fallor, an a laeva tonat? En hic alter ab illo.
A laeva tonuit: surgite Pontifici.

Hic LVPULVS. Iuvenem novi, et juvenilibus annis
Insertum doctis, Pieridumque choris.
Sic VENVSI testatur ITER : testantur et ausa
Centum, quae volitant viva per ora virûm.
Dicite io. Lapsis animum succurrere rebus
Induxit nuper, supposuitque humeros.
Et potuit jam tum felix, totumque videri,
Et teres, et plenum dedaleae artis OPUS.
Non ita sed Lupulo visum, quem plenior aura
Implet, et a magnis ad meliora rapit.
Ergo quod primo processit ab omine faustum,
Plaudite Pierides, ille retentat opus.
Quantus et adsurgit! quanto et molimine rerum!
Aggestis quantae jam cumulantur opes!
Nunc ego te paucis: Tibi nec sim vanus haruspex,
Plurima cui lauro tempora sacra nitent:
Campani stet honos Tituli ; stet fama per aevum:
Corfinii Titulus proximus insequitur.

Philippo Ursino, Duci Gravinati.

ELEGIA 2.

Magnum opus. Ursinae meditabor gentis honores,
Armipotens Regum ducitur unde genus (1).

(1) Vid. Morer. T. Huitième du grand Diction. Histor. Lettres T. Z.

Non tamen a prima repetentur origine laudes,
Ut mihi per centum secula sudet equus.
Ursinae quisquis famae numeraverit annos,
Ille perenne tuum, Sisyphe, figat opus.
Tu modo regum altor praeclare Philippe tuorum,
Nobile tam clari sanguinis ipse decus;
Adsis, et timido facilis da vela Poetae:
En quodcumque vides, hoc tibi surgit opus.
Surgat opus: primum quaeratur et omen ab armis:
Maximus Ursinis additus inde decor.
Aspice quam crebro Sulmo gemit ariete pulsa;
Aspice jam forti moenia capta manu.
Victoremne vides? Valeri jam suspice robur,
Pelignos adigit qui nova ferre juga (a).
Arduus ast aliâ surgit de parte Camillus,
Nobilis hic tantae pars quoque militiae (b).
Robur idem; mens una animi. Discrimen ab illo
Si quodcumque fuit, sortis id omne fuit.
Fracta tumescentis testantur cornua Lunae,
Infesta Adriacis cornua semper aquis.
Ardua nec tantum ferre Ostrovisia pectus
Sustinet, et fessum praebet inulta latus.
Prosequar. Hic locus est, magni quo Gallicus Ursi
Sternitur incautus captus ab ungue Leo (c).

(a) Vid. Paul. Iovium Histor. L. XXV.

(b) Mambrin Rosco Compend. Stor. Regno di Nap. P. II. L. III.

(c) Carrafa Stor. del Regno di Napoli P. I. L. VIII.

Inde triumphato victricia signa Leone,
Victor ad Alphonsi regia castra tulit.
Te quoque, Napoleon, juvenum fortissime dicam,
Napoleon vinclis nuper adempte tuis (1).
Te duce, victorem contundit Tybris Hiberum
Vincula non summi passus inulta Patris.
Qualis in incautum praeceps ruit ursus ovile
Instructis nuper liber ab insidiis;
Sic tua, Napoleon, prae fulminis ocyor igne
Hesperii damno dextera visa gregis.
Dum potuit, nec fata negant sic talia posse,
Iulius Albana servat ab arce locum (2).
Quod cessit, virtus animo non enthea cessit:
Virtuti deerat sors inimica magis.
Et tamen hanc sortis, domitor prope sortis et ipse
Iulius impunem non sinit ire notam.
Disiectas arces, et *Fortis* moenia *Montis*
Aspice, et ultoris suspice signa Ducis.
Non ego Iordani referam, non pectora Pauli,
Non ego, non centum nomina nota virûm.
Optarim potius, quot aguntur in aequore fluctus,
Dicere, et obliquus quot capit astra polus:
Quot foecunda Parens tellus animantia gignit,
Aethere quam variae, quaeque vagentur aves.

(1) Vid. Murator. Annali d'Italia T. X. an. 1528.

(2) Mambrin Roseo loc. sup. cit. et Lib. VI.

Sed mihi, quamquam alias properem decurrere metas,
    Non est Virginii fama tacenda tamen (1).
Quam bene Virginius fatalia signa Tuneti
    Advehit impavidus lintea plena decem!
Haec quaecumque venit Tyberina classis ab Urbe,
    Advenit in famam, Carole magne, tuam.
Quid metuat tantus tali sub nomine Ductor,
    Cum cedant fatis, Carole, cuncta tuis?
Testes Barbarico spumantes sanguine fluctus,
    Et centum validâ rostra subacta manu.
Barbarus, e rubra veniunt cui nomina barba,
    Christiadum nuper Barbarus ille timor;
Vix sibi magnanimi cavit victoris ab ira,
    In patriam remeans Ariadenus humum.
Bella satis cecini. Pacis nunc praemia poscam.
    Est suus Ursinis hac quoque parte locus.
Ferte rosas, pueri; plena date lilia dextra;
    Et placida intonsas cingat oliva comas.
Dicam ego servatas Urbes, auctore Latino (2),
    Regnaque de saevi fulmine rapta Dei.

(1) Pontificiae Classi Praefect. in oppugnatione Tuneti sub Caroli V. auspiciis. Vid. Murator. loc. sup. cit. an. 1535.

(2) Pii II. Legatus ad Ferdinandum, Aragonensium regis Filium. Vid. Spondan. Annal. Ecclesiast. an 1458.

Vos ego, Pausilypi colles, vos alloquar, et te,
Mergellina, Patri proxima lympha mari.
Ille tuis Martem placidis avertit ab oris,
Utque tuo flueres certa dedit Domino.
Fernando nam certa fluas: sub numine tali,
Mergellina, tibi sat bene, dixit, erit.
Dixit, et a laeva plaudens exarsit Olympus:
Plauserunt dictis Diique hominesque simul.
In tantum famae venit Nicolaus honorem,
Quem par *Compositi* nomine fama notat (1)
Ut qui jam promptas, duo maxima fulmina belli,
Duxissent reges saeva per arma manus;
Foedere tam facili stent, Romulus inde Rodulphus,
Carolus hinc Siculi gloria magna soli.
Tu quoque, tu Patrem supplex venerabere tantum,
Omina quae florum florea rite geris.
Nam tibi cum miseros ageret discordia Cives,
Sanguineisque tuus curreret Arnus aquis;
Pristina rixarum delevit semina sollers,
Fraternoque animos foedere composuit.
Ast, Benedicte, tuas quali nunc carmine laudes (2)
Prosequar? ingenium deficit omne meum.
Deficit ut parva injusto sub pondere cymba,
Deficit ut media parva lucerna die.

(1) Vid. Natal. Alex. Hist. Eccles. Saec. XIII Art. X.

(2) Benedic. XIII.

Sed tamen ut potero, virtuti sedulus addam,
Nulla dies radat quae monumenta, tuae.
Tu pietatis opus, vindex tu maximus aequi,
Tu sacer intactae relligionis honor.
Te duce, non ullas verita est animosa procellas,
Parva licet premeret naufraga cymba freta.
Ergo quâ surgit roseis aurora quadrigis,
Quaque sub occiduo mergitur amne dies:
Qua dirus gelida Boreas desaevit ab Arcto,
Quaque calet crebris plumbeus Auster aquis:
Aeterni, Benedicte, tibi servantur honores;
Famam nulla tuam negliget historia.
Illa tui primaevus amor, postremaque cura,
Quam rigat hinc Sabatus, proximus inde Calor;
Romanis etiam ponet certamina clivis,
Perque tui famam clarior esse volet.
Argumenta sagax aeris caelabit, et auri,
Quae referant laudes, et benefacta tua.
Et certamen erit tituli: num forte *Parenti*?
Pontifici inscribat num magis illa suo?
Sed tamen apta licet sint utraque nomina rebus,
Et fato coeant utraque juncta pari;
Dulcius at grato prius illud in ore sonabit;
Illudque optarit verius esse suum.
Hi superant tituli, priscaeque ea gloria gentis
Vi superûm ereptae non semel exitio.
Deturbatus equo claudebat lumina quondam,
Lumina Lethaeo sparsa sopore Puer.

Napoleon puer; una domus spes, unicus ignis,
Purpureique nepos unica cura senis.
Surge, Puer: non ista tui sunt tempora somni,
Gusmanus dixit: surgit et ecce Puer (1).
Natura obstupuit: mors atra et falce rejecta,
Fassa est imperii jura minuta sui.
Regia post videas properari funera, regis
Ne foret in Paulum sanguinolenta manus (2).
Namque Ladislaum simulans Cythereïa pacem
Delet, et immeritum vindicat illa genus.
Parva quidem, sed grata tamen, sed debita tandem,
Attulimus proavis candida vota tuis.
Te mea nunc propius deposcit musa, Philippe,
Ingeniumque tibi jam litat omne meum.
Nam generis pretium non certe inglorius ipse
Accipis, et nullo foenore segnis habes;
Ut quas finitimis haurit de fontibus, undas
Condit in ignoto gurgite avara palus.
Qualis at Oceano qui defluit amnis, in ipsum
Ditior acceptis undique venit aquis:
Sic tu cum proprio multum sis dives honore,
Clarior in clarum refluis usque genus.
Nam tibi non animi desunt sub pectore firmi,
Visque animum firmat plurima consilii.

---

(1) Vid. Bolland. Art. 55. Tom. 1. Augusti pag. 579.

(2) Vid. Iohan. Bapt. Summontium Storia della Città, e regno di Napoli Lib. V. Tom. III.

Et quamquam primos facilis natura ministret,
Gloria at alterius tota, Philippe, tua est.
Nam tibi cum rarâ tantum sit sorte tributum,
Praetereat nullus quo sine flore dies:
Cum medias spectandus eas dominator in Urbes,
Et tua jussa frequens sedula turba colat;
Cum tibi det regni primos Fernandus honores,
Romano et liceat ponere jura foro:
Parcis, et ignavae dedignans otia vitae
Strenua sollicitae Palladis ausa legis.
Hospes et hinc mundi doctas inquiris in oras
Certa parans vitae sic documenta tuae.
Quippe hominum mores, variosque ediscere cultus
Mentem auget, vitam fingere datque suam.
Hospes, abi. Sic certa domum te sidera reddant,
Scipiadum nomen jam tua fama premet.
Docta manus commonstret iter: prima haec fuit illi
Fama: tibi aeternum sic quoque nomen erit.
Quod tibi spondebant Ursini numina fati,
Numina, his quibus est debita vita tua.
Namque tuum pueri petiit caput impius: et jam
Obliquis oculis dextra notabat iter.
Excuso micat igne silex. Iam plumbeus instat
Sulphure torquendus concrepitante globus.
Mens horret, refugitque ausus memorare nefandos,
Et tantae pectus dicere nequitiae.
Quis furor in puerum, nullum cui robur inesse,
Hoc natura ipsum praesidio esse dedit?

Hoc intorta tamen sunt in caput eminus arma,
 Nec fuit innocui sanguinis ulla mora.
Verum intorta tamen sunt, Dîs prohibentibus, arma,
 Experta est audax irrita tela manus.
Nunc tibi Parthenope curvo de littore surgit
 Apta coronatas molliter uncta comas.
Ut nova quae cupido conjux parat ire marito
 De toto spirans corpore delicias.
Olli Sebetus sua sese in cornua tollens
 Spumeus a dextra plenus honore venit.
Nec minus adsurgens nativo e margine laevum
 Mergellina terit, lenior unda, latus.
Hinc sequiturque suis rorans Galatea quadrigis,
 Alphei fugiens hinc Arethusa minas.
Nec tua grata minus recolunt benefacta, Philipp.,
 Quam sua Chironis Thessala turba senis.
Thessalus a teneris Chiron educit Achillem,
 Unde stat Haemonii fama superba soli.
Non tamen externam metuat, te sospite, famam
 Tellus nostra. Uni vix litet illa Iovi.
Nam te cum tener altorem Franciscus honoret,
 Deque tuo assiduus pendeat ore puer;
Borbonidum regale genus, cui numina magni
 Imperium spondent Parthenopaea Patris;
Ille vel audacem bello prostrarit Achillem;
 Nestora vel regni vicerit arte puer.

Orpheus in Inferis.

ELEGIA 3.

Threiciam canimus cytharam. Nunc incipe, Musa,
Ausaque da facilis tanta referre viri.
Uritur infelix Orpheus; est flamma medullas;
Uritur, et raptam deperit Eurydicen.
Eurydicen teneris calcantem gemmea plantis
Prata latens coluber conterit ore pedem.
Lethales succos dicto velocius haurit,
Et gelida herbosum sternitur ante solum.
Talis et ante cadit fragrans hyacinthus aratrum,
Falceque sub dura talis arista cadit.
Qualia, Calliopes proles, pro funere tanto,
Qualia tunc animi sensa fuere tui!
Ereptam cupido, fato properante, maritam,
Extinctasque faces, vinclaque rupta thori!
Luminibus qualem ipse suis plus semper amavit,
Si quid luminibus carius esse solet.
Talis inexpectato interdum fulgure pastor
Attonius toto corpore diriguit;
Quem super obstupui multum, multumque colonus
Sub claro exercens pinguia rura Jove.
Tum vero adsuetos mens ut revocatur ad usus,
Et linguae, et lacrimis libera facta via est;
Immenso primum lacimarum offunditur imbre,
Omnia ut in lacimas membra soluta putes;

Tum nemora, et montes, et sidera questibus implet,
Acceptos referunt et cavà saxa modos.
Itque, reditque viam; praevertitur, inde resistit;
Hinc silet, hinc toto pectore conqueritur.
Et nostra, Eurydice, ruperunt foedera Parcae,
Ausaque sunt tantum fata maligna nefas?
Ipsa mari aeternos possent caeli addere tractus,
E caelo possent deripere ipsa Jovem.
I nunc, et votis bonus addito vota: per aras
Multa cadat purâ victima caesa manu.
Impius, atque pius fatis urgentur iisdem:
Parcius ignoscit sors inimica piis.
Saepe etiam cytharae digitos admovit eburnae,
Et sonitum retulit pollice tacta chelys.
Dicite, Nereides, qualis tunc sensus aquarum
Extitit, et qualis deflua lympha stetit.
Haerent ancipites submisso murmure venti,
Libratisque alis quisque stetere suis.
Stat pecus, et prona tacitum melos ebibit aure,
Insuetumque sonum pendula captat avis.
Vidistis, Dryades, nemorosa cacumina velli,
Et sensim elatas flectere prona comas.
Tantum nempe ausus cytharâ, fidibusque canoris,
Munera quae nato magnus Apollo dedit.
Haec aegrum relevant paullum spectacula. Pone
Spes subiens animos ad meliora ciet.
Quid prohibet lacrimis inflecti numina, dixit?
Et noster tangit saxa, ferasque dolor.

Ibimus. Hinc aliis pateat descensus Averni:
Theseus hinc Stygias discat adire vias.
Hinc pius Aeneas patrios accersere manes
Audeat, elatus sanguine nempe Jovis.
Ibimus: Ad superas auras evadere amantem,
Seu bona fata velint, sive maligna negent.
Dixerat, et caeco mens insanabilis igne
Insuetum celeri jam pede calcat iter.
Nec mora. Deventum ad saevi jam limina Ditis,
Limina tergemina fauce timenda canis.
Iamque fatigantur, blanda vi, carmine postes;
Iam jam difficilis ianua victa patet.
Dejectusque Charon, et caeci Janitor Orci
Insolitum vigili suscipit aure melos.
Styx, Acheron, Lethe, Phlegeton, ignavaque stagna
Cocyti, fluctus continuere suos.
Iam medias constat fatalis cymba per undas,
Non ultra immiti cymba subacta manu.
Te Minoa capit, teque, o Rhadamante, voluptas;
Aeace, nec tales negligis ipse modos.
Quin et squallentis Pluto Regnator Averni
Flectitur, et pietas ferrea corda subit.
Ecquae tanta, inquit, te, te impulit Orphea caussa,
Ut vetitas oras, tartara regna petas?
Nulli quippe hominum datur has contingere sedes,
Quin mortale prius deleat igne rogus.
Talibus ast illum contra Rhodopeïus heros,
Saepeque praecidit mollia verba dolor:

Dis, hominum judex, atque idem criminis ultor,
Humanae sortis quem penes arbitrium est:
Munere quod fretus patrio tua regna petivi,
Non mihi crimen: *Amor* criminis auctor adest.
Quid faciant homines? Deus idem cessit Amori,
Induit et nivei terga, pedesque bovis.
Nec tibi quaesierim dulces abducere amores,
Aut regni optarim jura tremenda tui:
Erydicen repeto, testorque hominesque, deosque,
Immatura mihi vita revulsa mea est.
Ergo vel Eurydice, concede, sequatur amantem,
Vel suus Eurydicen hic comitetur amans.
Et lacrimis maduere genae. Nec plura precatus
Protinus acceptam rettulit Eurydicen.
I nunc: et tibi quas dederit Proserpina leges,
Sensibus haec imis, Orphee, conde tuis.
Arripe cautus iter: conjux et pone sequatur.
Ah! ne illam cupidis appete luminibus.
Hoc unum, superas donec pervadat ad auras,
Te monet, hoc unum Diva tremenda jubet.
Eheu! quis cupidam valeat compescere mentem,
Et quae saevus Amor perferat imperia?
Quis mentem, conjux, quis te malus abstulit error,
Notaque sollicitus saepius ora petis?
Infelix! stygias iterum tranare paludes
Cogor. Non ultra posse redire datum.
Talibus Eurydice. Mox dedignata sub umbras
Pallentes umbras, tristior umbra fugit.

Iah.

Ioh. Baptistae Vecchioni a negotiis ecclesiasticis

ELEGIA 4.

Baptista, imperii qui magna negotia curas
 Publica, et hoc majus, relligiosa simul;
Qui formam praeter, juveniles praeter et annos,
 Cetera quaeque tuo nomine digna refers:
Accipe, te quando mihi bis data copia nosse,
 Quae mea mens animi pro vice utrâque fuit.
Primâ visa mihi terras Astraea relinquens,
 Dedignata homines, ardua, torva, minax.
Alterâ at haec eadem visa est demissa superne,
 Qualem Saturni secla beata ferunt.
Admissum verbis adeo solaris amicis,
 Dimissumque quater fidere, terque jubes!
Cui credam interea? si neutra fefellit, utrique:
 Quae terramque petit, quae repetitque polum.
Quandoquidem est utrique comes sapientia visa,
 Sanctus honos, et cum relligione Fides.

In obitu Viri Cl. Vincentii Angiullii.

ELEGIA 5.

Tu quoque complexu ANGIULLI divulse tuorum,
Adderis heu! nostris materies lacrumis!
Quas non ulla dies, casus nec temperet ullus,
Namque tui similem non dabit ulla dies.
Ipse tui similis, Vincenti, semper, et unus,
Sors licet alternet, quas velit ipsa, vices.
Tu sophiae decus, et justi fidissima norma;
Tu sanctae innocuus cultor amicitiae.
Te Charitum in gremio, Phoebo duce, et auspice Phoebo,
Musarum fovit totus, et usque chorus:
Quo nusquam tantum dependet ab ubere natus,
Quantum pendebat quisquis ab ore tuo.
O sanctum, placidumque Viri os! quae pectora dura,
Eloquii ut fugerent dulcia tela tui?
Quo de Socraticis quantum est depromere chartis
Convectum, siculo nectare compositum.
Nestoreos certe, tantum qui Nestora mente
Vincebas, annos vivere dignus eras.
Et tamen, infecta vix quartâ staminis hujus
Parte, cadis, nostrisque abstraheris manibus!
O genus infelix, et falsae gaudia vitae!
O mala quam dubiis consita certa bonis!

Te gener, et conjux, te natus, et unica nata
Nunc urgent lacrimis nocte, dieque suis.
Quin amens animi, dulcissima neptis, et olim
Vergentis tenerum delicium senii;
Pupula quamvis, et primi vix tempora lustri
Emensa, in tantum est funere tacta tuo;
Ut se praecipitem jam jam dare certa minetur,
Nî cito, Vincenti, te sibi reddiderint.
Reddite formosum, nam quo quo abit ille? *Parentem?*
(Blandula sic quondam nempe vocabat avum).
Reddite.. Sed quamvis innoxia, candida quamvis,
Vota tamen celeres diripuere noti.
Sed qui te nobis, qui tandem casus ademit,
Quem letho raptum credere mens refugit?
Quamquam etenim morbi vis sensim irrepserat artus,
Nec tibi constabat, qui fuit ante, vigor:
Aucta sed ingenii virtus, decor additus ori,
Plus solito fulgens et facies animi;
Vincenti, in longum de te sperare jubebant,
Qui tecum semper vivere discuperent.
Oh! vanas hominum mentes! haec ipsa monerent,
Staminis extremi jam properare colum.
Quandoquidem ut circum morituri stagna Caystri
(Quod referunt) cycni dulcius ore sonant;
Sic quae divinae in nobis est mentis imago
(Mentis imago quidem, sed sine pate tamen);

*

Hoc ipso divinior, et mage cernit acute,
Quo sua jam propius solvere vincla parat.
Quid tamen haec eadem sensisse, quid ante juvabat?
Sic quoque calcandum denique mortis iter.
Multa brevis felix complevit tempora vitae,
Qui moriens, dignus vivere semper erat.

Pro restituta Regis Ferdin. I. P. F. A. valetudine.

ELEGIA 6.

Nox erat, et nostras subito vox occupat aures.
Unde quidem, incertum, certa sed illa tamen.
Debita jam caelo virtus. Age, pandere, Caelum.
Protinus et caeli jam patuere fores.
Hinc adsunt et divus Amor, Spes inde, Fidesque,
Virtutum hinc omnem cernis adesse chorum.
Relligio ante omnes, caelum quae vertice tangens
Incerta terras nunc ditione tenet.
Stat medius, firmusque animi Rex: quâque patescit,
Laetanti similis, magnum aditurus iter.
Laetitia exultat, totusque resultat Olympus,
Tergeminâque Polus fulget uterque face.
At parte ex alia Tellus turbatur, et omnis
Vertitur in luctum, solvitur in lacrumas.

Et PATREM inclamant pueri, innuptaeque puellae;
Et PATREM inclamant vir, mulierque rapi!
Quo nec amabilior quisquam, neç iustior alter,
Solem insperatus redditus ad decimum.
Redditus ah! miseris tot jam crudelia passis,
Nec dum detersis lumina lacrimulis.
Nam quae mens animi, perculsi fulmine tanto,
Seu Francisce, tui, seu Leopolde, tui?
O Iuvenum par! Imperii o spes altera nostri,
Queis non Laeda suos anteferat geminos.
Quique vel alterna redimant jam morte Parentem,
Talia si quando Fata sinant miseris.
Quidve externati memorem suspiria FRATRIS
Ad nos demissi littore ab Hesperio?
Hunc Fratre optato, hunc uno eheu! Fratre carere,
Quem vix amplecti, vixque videre datum,
Post easus tantos, per tanta pericula rerum . . .
Quae virtus animi denique sustineat?
Ergo circum errans tacitus noctuque diuque
Non patitur caro vellier a capite. . .
Sed Pater omnipotens, summâ qui prospicit arce,
Immotusque manens ima, suprema movet;
Vultu quo caelum, tempestatesque serenat,
Et quo tartareas mulceat ille animas;
Hinc Caelum placidus, Tellurem hinc lumine lustrans. .
Fallor? an has dio protulit ore notas?

Debita jam caelo ; telluri ast debita virtus
Regis adhuc , qua non ista carere queat.
Rex vivat : Virtus sic plenior. Inde sequuntor
Praemia virtutem nobiliora suam.
Dixit : et in summo ludens stetit aethere ventus ,
Posteraque illuxit clarior orbe dies.
Ex illo cives videas en tempore cunctos
Gestire , et sua jam gaudia non capere.
Quos inter tua non equidem pars ultima, Praeses (1),
Nostraque, Pontani quod genus ipse foves.
Et vivas , foveasque diu , praeclare Thomasi ,
Quod tuo ab unius pendeat ore genus :
Quo Tibi jam , quantum languentes imbribus herbae
Debent , deberi quem meminisse piget ?

Alberto Capobianco , Ord. Praedicat. Summo Palatii Antistiti.

ELEGIA 7.

Quos facili regit imperio *Leonardus* alumnos ,
Splendida cui *Fusci* nomine fama nitet (2) ;

(1) Excell. Marchio Thomasius Pontanianae Societatis Praeses meritissimus.

(2) Leon. Fuscus D. Th. Aquinatis Collegio Praefectus ; inde Acerrarum Pontifex renuntiatus.

Haec, Alberte, tibi melius cui candida nomen
　　Facta refert, animi dant monumenta sui.
Et quamquam non illa tuo sint culmine digna,
　　Sint quaecumque licet, non aliena tamen.
Namque licet canos tibi vinciat infula crines,
　　Et sacra imperii sint tibi iura data;
Ut gemini solus tu sancta negotia regni
　　Sustineas, magnum hoc tempore mentis opus;
Sic quoque noster ades, nosterque hic testis amictus;
　　Sic quoque pars nostrae maxima militiae es.
Nec pudet, his aptum ludis te, Alberte, probasse(1),
　　Queis impar nostrum succidit ingenium.
Ipsa eadem testes noti haec fastigia templi,
　　Nomine et haec toties limina plena tuo.
Sic tua te passim fata ad majora vocabant,
　　Tangere et ex humili sic iuga summa dabant.
Si memini; at quando haec pigeat meminisse? Tarentum
　　Prima dedit fatis omina certa tuis.
Illa sub Adriacis nuper consederat oris
　　Multa putans secum, multa locuta salo.
Sint tibi nunc oleae (sic namque canebat) Athenae,
　　Et vireat quercus sic tua, Roma, tibi (2).

(1) Quaestiones in Scrip. sacram Poetae palam propugnandae.

(2) *Dum latinae loquentur literae, quercus*

Me iuvat Alberti nomen. Fors Palladis arbor,
Et cedat quercus fors tua, Roma, mihi.
Parthenope contra: tibi tellus Attica cedat,
Cedat et Alberti nomine Roma tibi.
Quae tamen Alberti referas post munera digna?
Ipsa Tarentinum nil, nisi nomen, habes.
Si sapis, hunc concede mihi. Sic praemiaque illi
Nec sua defuerint, nec tua fama tibi.
Aequa Diis visa est ratio, nec iniqua Tarento:
Excipit Albertum Parthenopaea fides.
Quid tua nunc memorem robusti pectoris ausa,
Nomina et ex omni parte probata tua?
Hoc, Alberte, liquet, te unum sub pectore firmo
Collegisse virum, quidquid ubique nitet.
Sed tua te nobis longo post tempore virtus
Abstulit, et Calabris in sua jura dedit.
Et te Chalcidici viderunt moenia Rhegî
Pontificem, an dicam verius ipse, *Patrem*?
Hoc mage: nam placuit tibi sic laus illa, patere
Ut possent animi sensa paterna tui.
Quique urbes colitis, vel agros, qui denique cumque
Tyrrenosque sinus inter, et Jonios;

huic loco non deerit, quae Mariana dicatur, eaque.. canescet saeculis innumerabilibus. Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce olaam tenere potuerunt. Cic. De Leg. Lib. I.

Quanta fuit vestri super hoc fiducia, quantum
    Praesidium vestris affuit ille malis!
Cum sua se miseris tellus succussa negaret,
    Nec certos ulli jam daret esse Lares!
Nec fuit indignum superis, sub nocte silenti,
    Pastorem stabulis advigilasse suis;
Ne Lupus immundis discerperet unguibus, omni
    Legerat e lecto quas grege Pastor, oves.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Leones.
    Tu quoque in exemplum posteritatis eris.
Sed tu quod poteras meliores urere taedas,
    Aureus et nuptae vincula ferre novae;
Squallida dum flebat disiectos altera natos,
    Fatorumque graves in sua damna manus;
Ante ageret Boreas gelidâ ver saevus ab Arcto;
    Duceret inversos antea Phoebus equos;
Quam tua consilio nutet sententia tali,
    Propositâ et cedat commoditate fides.
Crede mihi, magnos superabunt ista Leones;
    His super aeternum fama stupebit anus.
Nunc age Rheginas deceat jam linquere sedes:
    Iam sua deposcit pignora Parthenope.
Parthenope sua non Calabris tunc munera cessit,
    Cum te passa suo est tristis abire sinu.
Illa suum certo dederat pro tempore pignus,
    Digressu aeternum non dolitura tuo.
Et bene te validus nobis cito reddidit Auster,
    Ad nostras Auster non piger ipse preces.

Aspice, nunc reduci gaudens quae munera defert,
Non indigna tuo nomine, digna suo.
Utque tibi pronae veniant Sebetides undae,
Et Mergelline, proxima lympha mari.
Tu tamen interea, Pater, os pallesque, rubesque,
Invitoque doles verba pigenda cani.
Et memini. Tua cum te fama sequatur ubique,
Est tamen ut lateat, maxima cura tui.

Votum.

ELEGIA 8.

Phoebe, Sabaea tuis si tura adolevimus aris,
Et non ingratus si tibi venit odor;
Huc adsis, vatique tuo exorabilis esto,
Chrysae tam facili qui capis aure preces:
Pauca rogat. Mihi sic usque exorabilis esto;
Intonsae niteant sic tibi fronte comae.
Delicias olim nostras, et dulce levamen
Ah! male Damonem tussis anhela quatit.
Pallida iam totos febris male permeat artus,
Et vectanda rati praeda Charontis adest.
Quem tu robusto potantem pectore nosti,
Gorgonei lenis qua fluit amnis equi:
Quem tu nitentem aspexti felicibus ausis,
Quâ resonant Pindi saxa canora tui.
Unica nempe illum Parnassi gloria tangit,
Musarum sacris inter et esse choris.

Ergo adsis, medicamque Deus iam porrige dextram,
Vitales succos affer et ipse manu.
Namque tibi, quid succi herbarum, quidve latens vis
Naturae valeat, noscere posse datum.
Quod si pro voto stet, viribus ille receptis,
Et repetat malas purpura, membra vigor;
Ipse ego laurigerâ redimitus tempora fronde,
Atque albente stolâ, candida dona feram.
Sicanos mihi pascit agros in millibus agna,
Quaeque vel Alpinas vinceret agna nives.
Et blandos movet illa oculos, intonsaque ludit,
Praecipitem nondum passa petulca marem.
Ecce tibi votiva manet, Latonia proles,
Mox tremebunda aras ante litanda tuas.
Scilicet hoc vati quoque largiturus: ut ille,
Hostia quanta refert corpore, mente gerat.
Et mens illi eadem intacto pro corpore constet,
Et sit pro niveo vellere, pura fides.

In mutuam hominum crudelitatem.

ELEGIA 9.

Nil homine est homini quidquam crudelius umquam,
Nil et in alternum pronius exitium.
Non aper a saevi didicit sibi dente timendum
Apri, cognatae nec lupa saeva lupae.

Inter securi versantur lustra Leones,
Et generi norunt parcere quaeque suo.
Et ventris, venerisque brevis, vitaliaque infra
Jura, furor. Pacis cetera foedus amant.
Soli inter se homines capitalia praelia versant,
Praelia ab extrema vix soluenda nece.
Quo nostro tepefacta madet de sanguine, tellus,
A nostra, facinus! funditur ille manu.
Nam bella, et fraudes, ferrumque, et dira venena,
Probraque, et incestus commeminisse, parum
est.
Quis modus in rebus quovis de iure cavendis,
Sanguinis agnati si pudor omnis abest?
Et querimur, positos naturam evaderè fines,
Omnia et inversis defluere ordinibus!
Verberat aestiva hibernus sol lampade terras,
Dum pluviis inhiat campus hiulcus aquis.
At segetes contra grando, et nix plurima adurit,
Cum medius Titan fervet ab axe Poli.
Ingemit agricola; et plenâ quae semina sulcis
Crediderat, parcâ vix legit ipse manu.
Cernitur et longâ natura effoeta senecta
Omnis ad occasum deproperare suum.
Pondus, et astra, aer, tellus dira omnia spondent,
Rerumque extremam non procul esse diem.
Ante alia ingrato Tellus sub pondere nutans
Non ulli tutos iam sinit esse lares.
Heu tellus, tellus, hominum fidissima sedes!
O cara, o felix, prima, suprema parens!

Siccine te nostri nunc sarcina degravat ? eheu !
Illa humeris tantum sarcina nota tuis !
Aeterni natura vigil sanctissima recti ,
Una hominum vindex , atque ministra sedet.
Quae simul atque homines caeci sine lege vagantur,
Legibus et pariter solvitur ipsa suis.

In funere Petri Napolii Signorelli.

ELEGIA 10.

Mortales morti debemur. Funeris eheu !
Non eadem ratio , lex tamen una manet.
Anne fuisse , satis , plenoque e stamine scindi
Sponte , velut fructus arbore deciduos ?
Et tu plenus abis iam , Signorelle , dierum ,
Creditur et pensi nil superesse tui.
Nam teritur sextus tibi , et octogesimus annus ,
Quo vix Davîdis tempora respiciant.
Sed quanti haec nobis , queis aut tu vivere semper ,
Aut nasci nunquam , maxume , debueras ?
Quo , te defuncto , orbati genitore dolemus ?
Quo , te defuncto , sidere terra caret ?
Tu flos Historiae ; sophiae tu norma fidelis ;
Romani , et Graii tu decus eloquii.
Quid dicam , primâ te ab origine iura Theâtri
Complexum , atque humeris sustinuisse tuis ?
Queis aut se gradibus gemino de littore culta
Famam nostra omnem terra supergreditur ?

Et tibi quanta suâ pro pyxide debet Amalphis,
    Quantaque vel Sophocles, doctus et Euripides?
Quos italas inter, bene te ducente, choreas,
    Graecia iam dubitat vana fuisse suos?
Ecquibus haud dudum te iam non partibus orbis
    Conspicuum, qua qua cultus Apollo nitet?
Vix ego crediderim, sanctos haec tangere manes,
    Quos beat alterius laetior aura poli.
Felices animae, quas circum luditis oras!
    Gaudia quae vobis, quantave nosse datum!
Quam nihil hoc nostrum sapere est! quam frigida vita!
    Gaudia quam vitae frigidiora magis!
O sola, o felix, numquam o perituraque virtus,
    Stent licet, aut unâ terra, polusque ruant!
Pura fides, pietasque animi, sine crimine mores,
    Mens rectique potens, propositique tenax;
Seu rutilent ignes, pelagique exaestuet ira,
    Seu nutet tellus cardine mota suo;
Fama quidem ingenio, vobis at praemia famae
    Debentur; quae non abstrahat ulla dies;
Et superûm sedes, caelesti et vescier aura,
    Et ferri magnum nomine, et esse virum.
His ergo sociis superum se iactet in aula
    Additus et superum iam bonus ille choris.
Cetera, nî tales detur contingere metas,
    Splendida sint quamvis, iam nihil esse puto.

EPIGRAMMATON, LYRICORUM, ET HENDECASYLLABORUM

LIB. UNICUS.

Vitae mortalis imago.

I.

Aspice, nativo tenuis qui margine rivus
    Defluit, undoso non procul Oceano.
Ad ripam ludunt pueri, luduntque puellae,
    Mollis et ad ripam pota quiescit ovis.
Aspice sed vastum qua sese immittit in aequor,
    Nativas et cum nomine ponit aquas.
En ubi sunt pueri, luduntve puellae?
    En ubi deserto in litore molle pecus?
Rivus ed id vitae est, et vitae gaudia ludus,
    Aeterno et rapitur rivus hic Oceano.
Interea et sequimur rivi hoc in margine, quae nos
    Nulla per aeternas, Tulle, sequentur aquas.

D. O. M. uni semper, eidemque gloria.

II.

Et rivi, et fontes, et aquarum quidquid ubique est,
Defluit Oceano, redditur Oceano.
Non tamen immissis quidquam inde exuberat undis,
Nec quidquam emissis detumet Oceanus.
Deque Deo quodcumque vides, quodcumque movetur,
Defluit, inque Deum refluit omne simul.
Sed manet ille tamen, semperque ipsissimus. Olli
Nil haec adiiciant, illa nec imminuant.

Vitae fugit irrevocabile tempus.

III.

Ordine qui certo decurrunt, temporis annos
Restituit certo tempore certa dies.
Quae semel acciderit decurri, tempora vitae
Restituit nullo tempore nulla dies.

Virtus una stabilis.

IV.

Is, et, Phoebe, redis, orerisque, nec occidis idem,
Cunctante interdum, nunc properante die.
Sola manet virtus, semperque ipsissima, fato
Seu superante bono, seu superante malo.

In Venetae Reip. την καταστροφην an. 1797.

V.

Quae maris Adriaci nuper Regina sedebat
Imperii ostentans libera jura sui;
Dum super Europae fato cunctatur, et haeret,
Istri num faveat partibus, aut Araris;
Ecce infensa sibi pariter duo flumina sensit,
Amborum et junctis fluctibus obruitur.
Conspicuum seclis posthac, et triste futuris
Exemplum, quod non deleat ulla dies!
Viribus adversis discindi corpora tandem,
Quae male firma diu pendula utrinque iacent.

In idem argumentum.

VI.

Vidimus, erepta sibi libertate, dolentem
Urbem Romuleam, vidimus Adriacam.
Illa tamen lento dudum collisa duello
Non est questa, Deos, sed rapuisse homines.
Haec pace in mediâ, belli discrimine nullo,
Sensit, non homines, sed rapuisse Deos.

In idem argumentum.

VII.

Imbecillis, iners, anceps; hostis, socius, Rex;
Spectaclum triplex das, Leo, turpe tui.
Hostibus irrisus; sociis non utilis; una
Et regni amittis libera jura tui.

In tumulum Brunonis ab Amanthaca,
Medicorum a manu celeberrimi.

VIII.

Si tibi de nostro nunc nomine, Bruno, litandum,
Suppeterent nullae pro merito inferiae.
Sed lacrumas Urbis, desideriumque perenne
Accipe de nostrâ, munera justa, manu.
Tu Chirurgorum princeps, tu vivere semper,
Aut nasci numqnam, Maxume, debueras.

Sed bene egenorum Pater ad Caeli ardua transit,
Maturaturus firmius auxilium.

In obitu Viri Cl. Antonii Vinspearis pro italice reddito Anacreonte, ejusque Adnotatore.

IX.

Elysios postquam lucos, regna invia vivis,
Vinspearis felix contigit umbra senis;
Theius, o *salve*, Vates ait: Ut Tibi nostrae
Pars concessa animae, sic quoque laudis erit.
Te duce, per doctas Italûm ambitiosior aures
Deferar, et Magnae notior Hesperiae.
Sed quis, quis fuit ille, notis qui te auxit? hic ille est,
Quo nostra exultat fama superba magis.

In Sextum.

X.

Omnes inveni, mihi quas periisse putabam,
Sextus ait: claves et quatit ipse manu.
Frater ad haec: *omnes* ne dicito, *maxima* quando,
Sexte, perît, nusquam repperienda tibi.
Hic contra: qualem ne putas, germane? *cerebri*
Scilicet, Aulus ait; Sextus et erubuit.

In Pontani effigiem.

XI.

Pontani effigies. Ne quaerito plura. Viri te
Si qua latet virtus, dixerit effigies.

Ad Vir. Cl. Nicol. Ciampittium pro Francisci Danielii edito ellogio.

XII.

Felices animae, queis sic laudarier abs te,
Ciampitti, mortis post fera tela datum!
En satis hic docto notus Danielius orbe
Per te stat famâ major et ipse suâ.
Quam bene laudatis sic, Nicolae, decensque!
Laudanti tamen hoc pulcrius, et melius.

Ad Praesulem quemdam pro Fidei caussa strenue suscepta.

XIII.

Quaesitis quatuor rem, Praesul, conficis omnem,
Queis intacta caput tollit ad astra Fides.
Quam docte, papae! et graviter, nitideque, brevique,
Nil scribi ut possit rectius, et melius.
Scilicet hoc opus est calamo pro tempore tali:
Sed magis hoc opus est pectore, macte animo.

Macte animo Praesul, quae sponsi sanguine perstat
Sponsa, tuis calamo, et pectore dixit: *Io.*

» Sol, contra Gabaon ne movearis. „

XIV.

Impia divino gens est devota furori.
Sistere, Sol. Caedis vel mora parva nefas.

In se ipsum.

XV.

Est mihi mens paullo exili prae corpore major:
Immane at quantum praestat utrique animus.

Ad Ducem Ventiniani.

XVI.

Dum tu Canovae spirantia marmora laudas
Carmine, quo Pindi plaudit utrumque latus;
Quis prae alio major, Vates, an sculptor habendus,
Incertum jam jam, Ventiniane, facis.

In miram Crucifixi ex ebore imaginem.

XVII.

Sic nempe ille pedes, sic palmas morte rigentes,
Luminaque ad caelum versa ferebat hians.

Sic caput, atque artus, formam sic corporis om
Convulsam, mirâ et nobilitate gravem.
Non hoc est, hominem mortis sub jura refer
Solventem at mortis jura referre Deum.

Ad jecur suum male se habens.

XVIII.

Vos at quis docuit Nili vix lingere fluctus,
Atque fugam trepidos praecipitare, Cane
Scilicet infidis latitans Crocodilus in undis,
In vestrum numquam non vigil exitium.
Tu mihi vix notos sinis attrectare libellos,
Vix et libatos, o jecur, abiicere.
O Iecur! o Nili mihi plusquam horrentia mon
Infestum! dulces, ite, valete, Libri.

In Gallicam Classem.

XIX.

Qui mare, qui terras infesto Marte ciebat,
Ausus et in summos bella movere Deos;
Infelix! Anglo disiectus turbine Gallus
Niliacis en jam piscibus esca natat!
Currite jam laetae puppes, jam currite tand
Non Bona pars, classis gallica tota perî

Allegoria.

XX.

Ardua praerupti surgens de vertice montis
Subjectas umbrâ palma tegebat oves.
Ferte faces, tum Pastor ait, jam ferte secures:
Haec caput in nostras erigit arbor oves.
Nec satis est, ramos, frondum et minuisse decorem:
Radicem rastris protinus ipse petit.
Illa quidem cecidit. Montis sed vulsa ruinam
Traxit, pastorem quae obruit, atque gregem.

Ad Pet. Paulum Blundum.

XXI.

Carmina nostra Petrus laudat: Vult, me esse Poetam.
Si sit Mecaenas ipse, Poeta vocer.

Genethliacon.

XXII.

Adsis, et tenerae faveas, Lucina, puellae:
Exacto nonum Cynthia ab orbe redit.
Munera ferte, Deae, dederint si fata, Nigellae,
Seu magis Alconi munera ferte, Dii.
Cujus in ore suae pingatur gratia Matris,
Sitque inserta animo vis generosa Patris.

Nil fato invisus, longum qui crescat in aevum;
    In Patriae famam, subsidiumque Domus.

Laus una comes virtutis.

XXIII.

Virtuti comitem miramur pergere laudem?
    Miremur, quod eat corporis umbra comes.
Miramur, parcos illi contingere fructns,
    Quos vitium plenâ carpit utrâque manu.

Ficus, et sorba.

XXIV.

Cui teres a scissa dependet lacruma veste,
    Quamque vides tenui a stipite deciduam;
Ficus ego. Lacera pretium sub veste recondo;
    Sic trunco adjungor firmior ipsa meo.
Sed mala sorba rubent pulcherrima. Parce, viator;
    Asperior nitido conditur ore sapor.
Sic nullo gaudet virtus, vel paupere cultu,
    Dum pulcris vitium corticibus tegitur.

In Virginem Turpejam.

XXV.

A laeva quod habent, poscit Tarpeja Sabinos
    Impia Tarpei praemia digna jugi.

Accipit, a laeva quod habent, Tarpeia pondus
Scutorum. Haec tali praemia digna fide.

Amoris caussa.

XXVI.

Cur ego, quaeris, amem? mihi quidquid amo, placet: Atqui
Cum placeat, quod amo, fit mihi, ut illud amem.
Sed quia quod placuit, pulcrum non semper habendum,
Quod placet hinc, non quod pulcrius, optat Amor.

Versio.

XXVII.

Pallentes hederas inter, myrtosque frequentes
Alma Venus nato basia mille dabat.
Non tulit hanc speciem furiata Amentia mente,
Et puerum fodit lumen utrumque manu.
Inde Puer questus, aeternaque jurgia miscet,
Maximus in partes scinditur inde Polus.
Hei mihi! (namque Puer sic lumine cassus utroque)
Quae via, quae pateat, certa tenenda mihi?
Rector ad haec Superum: tantum si luminis expers
Fles, Puer, incertus quo gradiare, tace.
Quem fecit caecum, caecum te Amentia ducat.
Ipsa per incertas certius usque vias.

XXVIII.

Virtutis tantum est medium servare : Poesis
De medio, quantum possit, abire procul.

In pravos poematum judices.

XXIX.

Ut vinum, meliora dies et carmina reddit.
Dicitur hoc; multis judiciumque placet.
Ast alii, quibus est nullo mens pota falerno,
Vinosum e vino judicium esse volunt.

In simile argumentum.

XXX.

Nil sibi laudari, nî longa probaverit aetas,
Dum clamat Sextus, respuit omne novum.
Naevius at contra: quod nulla probaverit aetas,
Sexte, novum reputas, an vetus? ille: novum.
Tale est, quod, Sexte, doces, tum Naevius addit.
Sextus ad haec nihil est ausus, et erubuit.

Stulta severitas.

XXXI.

Dum Balbus stultos nimiâ asperitate fatigat,
Et fugat is miseros, nec sinit esse bonos.
Se tamen et morum censorem jactitat, atque,
Ut par est, medici fungier officio.

Nimirum, qui (subridens tum Sextius inquit)
Nec prodest aliis, et nocet ipse sibi.

In Petillum.

XXXII.

Et genus, et formam regina pecunia donat,
Uxorem, et quidquid quis mage discupiat.
Haec pueris, populoque canit dictata Petillus;
Quem sic distrinxit Porcius ore gravis:
Ut saperes, regina pecunia non dedit. Unum hoc
Scilicet in mentem non venit, ut cuperes.

In Sextum.

XXXIII.

Pinguia rura, boves, dulci cum conjuge natos,
Nil non pingue suum denique Sextus ait.
Paetus ad haec: tua, dic mihi, num tibi, Sexte Minerva est?
Non reor, hanc unam rebus abesse tuis.
Infrendet Sextus. Nil hoc opus, addidit ille:
Scire volo: anne tibi pinguis et ista siet?

In Turpilium.

XXXIIII.

Turpilio, postquam positis in foenere numis,
Contigit et summos aequiparasse viros;

Magna crepat; rus dedidicit, socios, et amicos;
Quin patrem et potuit dedidicisse suum.
Quid mirum, et socios, et dedidicisse parentem,
Postquam Turpilius nec memor ipse sui est?

In Albium.

XXXV.

Versibus indignis miserum recitator acerbus
Bavius Euphemum nocte dieque necat.
Accipit hinc ciceris fricti munuscula quaedam
Bavius: hinc versus duplicat ipse suos.
Inde olus Euphemus, spumosi et vascula lactis
Mittit, non alias munera missa sibi.
Bavius insueto stupefactus munere clamat:
Ecquid pro tantis inde referre queam?
Unum hoc, Euphemus, si me vis vivere, dixit:
Ut taceas, Bavi, praetereaque nihil.

In Fannium.

XXXVI.

A tergo caesum queritur se Fannius, et se
Cernere sic quidquam nil potuisse, dolet.
Scilicet hoc quereris nunc, Fanni, Posthumus inquit,
Quod tu non illo tempore Ianus eras.

In vanum pollicitatorem.

XXXVII.

Nil sperare doces, dum spondes omnia, Curti;
Nam dare verba soles, praetereaquee nihil.

Fons Herculi sacer.

XXXVIII.

Si veterem pueri fas excussisse dolorem,
Ista tibi, Alcide, laetius unda fluat.

Male ab otio.

XXXIX.

Ut limosa palus obducit pascua junco,
Sic vitiis animos otia longa gravant.

In idem argumentum.

XL.

Triste Lupus stabulis; teneris et frigora plantis.
Tristia sunt pueris otia longa magis.

Ad Alex. Symmaclium Mazochium.

XLI.

Quando alios lego, mî videor meminisse legendo.
Te, Mazoche, legens, me didicisse, scio.

Ad Vir. Cl. Cajetanum Carcani.

XLII.

Dum Patris historiam narras, praeclaraque facta
Çarcane, quae nullâ sint minuenda die:
Te dignum nato genitorem ostendere gestis,
Et dignum tanto te genitore probas.
Sed facis incertum, tali natus ne parente,
An tali nato dignior ipse parens.

Pro die τῃ ονομαςτικῃ viri Cl. Iosephi Zurli.

XLIII.

Sic Tibi, quae signata tuo de nomine currit,
In longum, Ioseph, fulgeat alba dies.
Non satis hoc. Majora animus molitur et optat,
Quaeque ministerio sint magis apta tuo.
Hebraeo quantum Tellus Aegyptia alumno,
Debeat et Tellus haec quoque nostra Tibi.

Ad Divam Annam.

XLIIII.

Anna parens, foveant aliae sua pignora Matres:
Sed tu vix ortum jam venerare tuum.

Bonus Pastor ad oves suas.

XLV.

Nec vos deficient fontes, nec pascua laeta;
Me ducente, lupos nec metuetis, oves.

In Rapinum.

XVLI.

Dentibus, et capite, et pedibus simul ipse laboras.
Nil tamen ut taceas, adde, Rapine: *Manu.*

Via salutis ardua.

XLVII.

Mons est Caelorum sedes, quâ tendimus ire.
Inde per abruptas tendimus ire vias.

« *Memorare novissima tua, et non peccabis in aeternum.*

XLVIII.

Criminis expertem cupias si ducere vitam,
Est modus in promptu: saepe memento mori.

Cuncta animi bona luxuria absumit.

XLIX.

Heu! qualis, quantusque exurit Syrius agros,
Herbaeque, et passim culta vireta jacent!

In idem argumentum.

LIII.

Haec quicumque vides tanto congesta labore,
Cum tua sint, unum te meminisse volunt:
Talibus hic tantum gazis conceditur uti.
Non bene tam parvi tanta merentur emi.?

Ad BB. Virginem.

LIV.

Ut venti nubes, ventos ut pellere Phoebus,
Nubila sic vitae pellere, Virgo, potes.

Ad eamdem.

LV.

Enumeret caeli stellas, qui dicere dona
Cogitet, et laudes, candida Virgo, tuas.

Ad eamdem.

LVI.

Una Dei cum sis et Nata, et Sponsa, Parensque,
Cur non una aderis spesque, salusque mei?

Ad eamdem.

LVII.

Inter tot vitae casus, tantasque procellas
Tu mihi certa salus, tu mihi sidus eris.

Ad eamdem.

LVIII.

Nostra in te, Virgo, spes inclinata recumbit.
Te sine nil miseri, nil plane possumus. At te,
Virgo, favente, nihil miseri non possumus. Aret
Tristis ager, Caelo passim nî depluat imber:
Nec minus ecce tuo nostrae sine numine mentes,
Virgo, arent, arent vires, et carmina nostra.

Ad eamdem.

LVIIII.

Parvos parva decent. Et tu, dulcissima Mater,
Accipe, quae nati munera parva ferunt.
Quos et, Virgo, tibi parvos sacramus honores,
Extremam foveas mortis ad usque diem.

D. Spiridion duplici miraculo matri filium defunctum, defunctamque filio matrem restituit.

LX.

Infelix matri funus puer ante jacebat:
Mox puero funus Mater et ipsa iacet.
Quod puer ad vitam redit, angustum optuma Mater
Experta est pectus, gaudia quo caperet.
Ergo inter nati vitales liquitur auras,
Et contra votum nil possuisse, sat est.

Caucaseae flessent alterno funere cautes,
Flesset et a Siculis torva Charibdis aquis.
Sed bene Spiridion adscitum numen utrique est,
Spiridion secli norma, decusque sui.
Namque suae puerum potuit qui reddere matri,
Et puero Matrem reddidit ipse suo.

Gratia accepto major referenda.

LXI.

Aspicis, acceptum veluti cum foenere multo
Foecundi properant reddere semen agri?
Major et accepta referenda est gratia semper.
Par, mercatorum est, reddere nempe pari.

In Domum campestrem.

LXII.

Sunt procul hic Urbis, vesani et jurgia vulgi;
Non procul at felix, rustica vita licet.
Invideam-ne aulas? felix cui sorte tributum,
Hoc aevi tempus vivere posse sibi!

Nox Domini natalis.

LXIII.

Nocte venis, dum cuncta silent, dum cuncta quiescunt,
Blande puer, tecum et gaudia cuncta refers.

Nec te, cui non cuncta silent, non cuncta quiescunt,
Nec tua quis speret gaudia, blande puer.

» *Tenebrae non obscurabuntur a te, et nox,*
» *sicut dies, illuminabitur* ". Psal. 138.

LXIII.

Dum Puer alme, venis, sit nox licet atra, fugantur
Umbrae, nox fulget candidiorque die.
Sed dum plenus abis, mediam licet occupet arcem
Sol, cadit horridior nocte cadente dies.
Quo tecum melius, Puer, unam ducere noctem,
Quam sine te cupiam mille videre dies.

Deiparae nuntius.

LXIIII

Angelus humano quod corpore cernitur, ecce
Demittit trepidans lumina Virgo sua.
Angelico videatur homo si corpore posthac,
Attollet vultus casta puella suos?

Humana dignitas.

LXV.

Divinos mortalis homo captabat honores,
Frustra, equidem, at turpis non sine labe notae.

Sed postquam humanos Deus haud exhorruit artus,
Mortalique homini visus inesse Deus;
Divinos mortalis homo sibi sumpsit honores
Iure suo, turpiaa et criminis absque nota.

In idem argumentum.

LXVI.

Quandoquidem mortalis homo Deum adire nequibat,
Ad nos factus homo venit et ipse Deus.
Utrum alio majus? mirabile utrumque. Sed istud
Splendidius nobis, illud at utilius.

Apollonius Chalcide Romam accitus Aurelii Magister negat, se Augusti Domum adire, nisi officio ab Augusto praeoccupatum.

LXVII.

Advolat Euboicą Rhetor de Chalcide Romam,
Pelidae ut Chiron, deditus Aurelio.
Sed negat interea Augustas accedere ad aedes
Caussatus sancti jura magisterii.
Nempe fuit levius, Pius inquit, Chalcide Romam,
Quam Româ nostras, Rhetor, adire Domos.

Nemoricultores sacri.

LXVIII.

Hic armis, aulâque procul, procul Urbe, domoq
Per nemora, et saltus discimus ante mori
Nec quisquam aetheria speret se vivere in aul
Qui non hic didicit sedulus ante mori.

Infantes ab Herode caesi.

LXIX.

Aspice, natorum crudeli funere quanta
Vis cadat! Ecquis item non cecidisse velit;
Scilicet in patriae pulcrum est cecidisse salutem
Pro Christo simul est utile posse mori.

» *Milites plectentes coronam de spinis*
» *imposuerunt capiti ejus.* " Ioan. XIX.

LXX.

Sertaque de spinis, miles, male texta retentas
In caput innocuum, quae magis apta tuo!
Exultasque ferox animi, illudisque! Dolori
Scilicet adjectum dedecus esse putans.
Falleris. Ista suum capiti non dedecus addunt,
Accipiunt capitis sed magis ista decus.
Ergo pulcher erit posthac, et amabilis ille
Spinarum, turpis qui fuit ante dolor.

Stabat Mater.

LXXI.

Cernis et hinc diro pendentem e robore Natum ;
Cernis et hinc Matrem roboris ante pedes.
Nota tamen Mater negat argumenta doloris.
Infelix tantum constitit ante Crucem !
Scilicet humanos superat quae cura labores ,
Et negat humanis posse patere modis.

Ascendit in Caelum.

LXXII.

Christe, Crucis diram possis cum occumbere mortem,
Esse hominem quis te jure deinde neget ?
Atque triumphata , Caelum cum scandere, morte,
Posse datum , quis te , quis neget esse Deum ?
Inde doces hominem mortem moriens homo: mortis
Hinc Deus ascendens spernere jura doces.

Beata Virgo ad Caelos evolat.

LXXIII.

Restitit ad sedes tandem reditura supernas ,
Venerat unde olim , candida Virgo parens
Ecce illi comitem se mors adjungere gestit
Pallida , moris ut est , non inimica tamen.
Contra at divus Amor: Quâ nos deduximus, inquit,
Est illac nostrâ restituenda manu.

Obscuratus est sol.

LXXIV.

Te moriente, nigra tegitur caligine Phoebus,
Et renuit tantum posse videre nefas.
Quin et tellurem convulsam, allisaque saxa,
Naturamque omnem condoluisse, vides.
Tu tantum, mortalis homo, tu lumine sicco
Cernere, quis credat? funera tanta potes!

Pueri ad puerum Iesum.

LXXV.

Quae pueri afferimus puero munuscula? nempe
Oscula, dum majus nil tibi ferre datum.
Quid renuis, placidosque alio divertis ocellos?
Oscula nos ferimus non sine corde, Puer.
Sed jam subrides, et mollia brachia tendis.
Hoc plusquam pueri est, sic sapere, alme
Puer.

Pueri poesis studiis initiandi.

LXXVI.

Parnassum petimus pueri, ignarique viarum.
Ergo tu pueris dux puer, atque Deus.
Nempe puer nosti pueros, linguasque disertas
Efficere infantum tu Deus ipse soles.

Ad Amicum uxoris suae nomine petentem flores.

LXXVII.

Accipe, quae Dominae mittit munuscula Flora,
Et Dominae adspiret sic quoque Iuno tuae.
Optabam centum; hinc alios, aliosque, et in hortis
Quotquot alit demum Diva beata suis.
Sed Charitum numerum vix aequant, atque Sororum.
Pol! Dominae ista parum, sed satis haec Domino;
Qui plusquam flores, virtutis munera numos
Olfacit. Ecquid enim re sine laudis odor?

Allegoria.

LXXVIII.

Hoc quodcumque, Tibi quod, Zurole, sistimus, olim
Nosti, quam modicis Rivulus ibat aquis.
Iam plusquam Rivus, iustoque simillimus Amni,
Laxato hinc pariter margine, et inde suo.
Quid si in eum obstructos licuisset ducere fontes,
Quos arcent nostris invida secla labris?
Dîs aliter visum, quorum sub numine secla,
Seclorumque vices currere, quem lateat?
Interea et Rivi, atque Amnes, et quidquid aquarum est,
Illac, unde fluit, denique flectit iter.

Quid mirum, Aeclani, Ioseph, si Rivus, et Amnis
Te Patrem repetant laetus uterque suum?

Pro alterius de Lingua latina periculo feliciter exantlato labore, nomine Alumnorum Collegii Medico-Chirurgici.

LXXIX.

Res salva, o socii. Sancti nunc limen honoris
Ire coronatos, atque redire juvat.
Sed quibus interea stabit votiva tabella,
Evasis iterum syrtibus, et scopulis?
En adsunt ipsique Duces, ipsique Parentes,
Quos penes arbitrium, judiciumque stetit.
Sic summâ Arcitenens indixit ab arce, ratumque
A laevâ dictum Iupiter ipse facit.
Qui tabulam figent? Charites. En adstrepit omnis
Musarum chorus: *hac dona ferenda manu.*

Mens in vitium prona boni minime tenax.

LXXX.

Cernis, ut infernâ emittit, quas parte supernâ
Accepit, cribrum quam properanter aquas?
Haud aliter prona in vitium demittit ab unâ,
Quidquid mens aliâ suscipit aure boni.

Clavus clavo truditur.

LXXXI.

Cornu despectans sublimi dives ab aede,
Ore quod inverso forte jacebat humi:
Quid restas, inquit? tibi quod nunc excidit, ecce;
Et mediastinus forte subibat iter.
Hic frontem tangens, mihi sunt mea, dixit, amice:
Isthinc delapsum, quod cecidisse mones.

In Poetam ficti numinis Hirpini laudatorem pessimum.

LXXXII.

Par Vati Numen. Gens nulla huic supplicat Hirpo;
Et Vatem Anticyras Phoebus adire jubet.

Ad Caesarem Ventiniani Ducem pro suo Opere, cui tit:

Pensieri sulla Scienza della Storia

LXXXIII.

Vatem mirati, Musis, et Apolline dextro,
Te modo suspicimus, Ventiniane, Sophum.
Quaeritur at, Vati Sophus utrum praestet, an isti
Vates? incertum judiciumque manet.
Parcite, Pierides, et alumno parcite vestro:
Vates eximius; major at ille Sophus.

Ad Marchionem Blaneum pro Ital. Iuvenalis versione.

LXXXIV.

Enni, tu Sextus Pavone ex Pythagoraco ?
Et stertit Samius, stertis et ipse, Pater.
Aspice sed Blancum, Iuvenalem atque aspice Vatem:
Hunc dices in eum transiluisse magis.

O D A R.

VIRGO MATER AMISSUM QUAERIT IESUM.

O D E I.

Dicolos–Distrophos.

Nec desiderio modus
Usquam ; nec lacrimis ullus erit pudor :
Nec lassis dabitur quies
Plantis, lux oculis reddita nî siet,
Matris filius unicus.
Eheu ! pallidulo tertia lumine
Nunc aurora redit mihi;
Nec fas, nate, tuo lumine perfrui,
Notam et jungere dexteram !
Quo quaesitus abes ? bellule, quo lates ?
Quae te jam plaga detinet ?

Vivis-ne, et superâ vesceris hactenus
    Aura? quid meritus Pater
De te tale? parens quidve dolens tua?
    Te per tecta, per et vias,
Te per tesqua die, nocteque quaerimus,
    Una at questibus assonat
Echo flebilibus saxa per, et cavas
    Valles irremeabiles.
Vires deficiunt immemores cibi,
    Hoc tantum, memores tui.
Huc emensa tenus semita non brevis,
    Languent pectora anhelitu.
Tales virgineo pectore sedula
    Fundebat genitrix modos;
Et circum roseas lacruma per genas
    Ibat jure suo frequens,
Matutinus ut in gramina, vel rosas
    Imber. Sed Puer interim
Arcani penitus consilii tenax
    Praeceptum exequitur Patris.
Doctorum medius concilio assidens
    Templi fornice lucido
Pandit mira Dei gutture blandulo.
    Quantâ luce potentior,
Longaevosque Patres inter, et infulas
    Fulgentes Puer eminet!
Nunc instat dubiis consilii potens,
    Haerentesque premit gravis.

Nunc ultro rogat, atque occupat ambitus,
Qui recti specie queant
Incautas animas flectere de viâ:
Ut tandem tumor insolens,
Doctrinamque pati nescia mens senum,
Tanti robore numinis,
Iam det passa Deum victa manus Deo.

FLAGELLIS CAEDITUR.

ODE II.

Dicolos-Tetrastrophos

Non sic grando frequens turbine truditur,
Decertante fero cum Borea Noto,
Et spumante salo fluctibus horridis
Inter fulgura jugiter:
Non sic flava seges grandine tunditur,
Aequaturque solo plurima flebiles
Per sulcos, domini pauperis unica
Spes huc usque, at inaniter:
Ut nunc verberibus verbera conspicis
Densari, validis milite brachiis
Alternante modos, per refluentia
Circum sanguinis agmina.
Acclinem tereti vincula per manus,
Et collum silici ferrea continent,
Nudatos humeros, et tenus inguine
Eheu! pectus amabile!

Indiscreta pluunt undique pellibus
Munitae scythicis fulmina dexterae;
Adfectatque avidâ saevities fame
Pulcram in vulnere gloriam.
Tu ne frustra hominis quaesieris decus,
Frontemque, aut faciem, diaque lumina.
Humani hac animi desierunt notae;
Hac vestigia corporis.

CHRISTUS REDIVIVUS.

ODE III.

Dicolos-Distrophos

Sit licet excisum vivâ de rupe sepulcrum;
Obsignataque limina moles,
Multus et ad noctem vigilet servare satelles:
Non bene cautum, non bene praedae,
Mors, est, atra tuae. Ruit ab radicibus imis
Imperii non aequa potestas.
Quem claudis, duplici carptum de robore, nescis,
Insideat quantum tibi Numen!
Perculsi ecce ruunt vigiles, radiantibus auris
Inter nigra silentia noctis,
Praecipitantque metu erecti. Lapis ille supinus
Ridet jam molimina vana.
Aliger ad saxum candenti veste minatur,
Mirâ et fulget luce tremendus.

Numinis in vitam rediit velamen, iniquae
Iam triduum mortis juga passum.
Nescius ille mori, Phoeboque nitentior, et jam
Mobilibus velocior auris,
Oscula nota petit Matris, notosque suorum
Amplexus: Nutantia firmat
Corda dehinc. Quâ quâ patet Orbis, quâve patebit,
Rerum ordo novus, et nova cuncta.
Haec ille: atque alios tacito sub pectore nobis
Molitur de morte triumphos.

HENDECASYLL.

Ad Virum Ampliss. Josephum Zurlum aegrotantem.

I.

Male, est, Zurle, tuo satis clienti,
Male est, non bene te valere saepe.
Hoc non inde putes tibi cani, quod
Tu quodcumque vales, vales amicis,
Queis valens male non queas valere.
Sed male est mihi, non valere pulcre,
Quem valere volo usque, porro, et usque,
Non mî, sed Patriae, sibi, suisque,
Quos idem fovet usque, porro, et usque,
Ut gallina suos fovere pullos
Novit more suo usque pipilantes.

Sed

Sed quodcumque tamen, malum id ferendum,
Qui fatique vices, statasque leges
Naturae didici esse perferendas.
At si quando domi gravedo, tussis,
Quae ferant alio noti madentes,
Te, jucunde, tenent: cliens patronum
Cur non visere, non rogare coram,
Unde id? quî valeat, sinetur unquam?
Tam sancti-ne Lares? ego an profanus?
Non pulcre id mihi cum meo patrono,
Neque id frigore, et esuritione
Concoquit stomachus tui clientis,
Quamvis cetera, Zurle, nil morosi.
Ergo vel meus esse dehinc patronus
Desinas, male quem volens valentem
Nunquam arcessere detur: aut valere
Te semper bene post erit necesse,
Quem mî arcessere non erit necesse.

Ad Puerum Jesum.

II.

Huc jam, blandiciae, iocique, adeste,
Risus, deliciae, et beatiorum
Rerum quidquid adest magis beatum.
Quem nunc cernitis, universa, circum
Pupum sistite: convolate, cuncta,
Festivo pede, blandiente vultu.

Oh! qualis puer, et venustiorum
Inter quotquot erunt, aut esse possint.
Mellitus, sapidus, venustulusque!
En ut semihiat labris rubellis,
Quae nectar superant rubella labra:
En ut turgiduli rubent ocelli,
Lunâ, et sole oculi nitentiores.
  Sed qualis puer hic, vel unde tandem,
Qui mortale super nitet, sapitque?
Hic, hic ille Deus, Deoque Patre
Nil suppar genitus, minorve, fulgens
Ante sidera, siderumque flammas.
  Ergo blandiciae, jocique, abite;
Et quodcumque parum cavente lingua
Inter gaudia mentis aestuantis
Excidit, procul hinc, procul jam abite.
Et tu, sancte veni Pudor, Timorque
Ore pallidulo, modestiore,
Et quantum est animi obsequentioris,
Queis est muneribus Deo litandum.
  Sed cur me revocas, tenelle pupe,
His, quae semihiant, rubris labellis,
His, qui turgiduli madent, ocellis?
Quae nî decipiant labella rubra,
Quae rosas superant rubella labra;
Qui si veridici annuunt ocelli,
Lunâ, et sole oculi nitentiores:
Tute suaviolum dari tibi vis
Mellitum, sapidumque, suaviusque

Hyblaeo sapientiore melle.
Tu meum ad cor hias, meos et ignes,
Corculum scabrius scabris lapillis,
Lymphâ ignes tepidâ tepentiores.
Hoc quodcumque tamen, tenelle pupe,
Hoc tu suaviolum tene, quod optas,
Cordatum male cor, meos et ignes.
At tu nî igniculis tuis aduras
Cordatum male corculum male istud,
Ignes perpetuo tepore languent,
Nullum suaviolum quit esse suave.
Sed tu si igniculis tuis aduras
Cordatum male corculnm male istud,
Ignes mirifico calore crescent
Inter suavia mille, porro, et usque.

Ad Severum.

III.

Papae! tu Oedipus es novus, Severe,
Qui dona ex animo aestimas amici,
Irati tibi quem Dii dedere!
Quod versus tibi miserim, Sinonis
Iam sentiscis equum, fidemque graecam.
O quantum est hominum severiorum!
Quae mittam placitura dona posthac,
Haec si displiceant? caput Medusae
Mittam saxificae, silex ut ipse

Consistas Boreae, et freti minacis
Surdus turbinibus, cui amica fraudem
Nostra sic redolent, Severe, dona.

Ad Rapinum.

IIII.

Tercentos memini, Rapine, numos
Reddendos mihi, quos nec aequitate,
Nec iure, aut precibus licet misello
Illuc adlicere, unde sunt profecti.
Hoc putre teneo, Rapine, tandem,
Nec tardi eluat omnis unda Lethae.
Unum non teneo, Rapine, pulcre,
Me quod carmine, et adlocutione
Aeternum vocitas, palamque amicum,
Quem tu prae reliquis ames, colasque,
Unum prae reliquis tibi colendum.
Sed fortasse tibi, Rapine, amicum
(Isti Dî mala multa dent amico!)
In mentem venit esse, dicierque,
Qualis vulturius velit columbis,
Et Vulpes lepori, Lupus capellis.
Quare aut desine praedicare amicum,
Aut mî reddito, quae Rapine, debes.

POESIE ITALIANE.

AL SIGNOR GIOACCHINO ZORDA

RISPOSTA.

SONETTO I.

Figlio dell' amistà, Zorda gentile,
Dalla vena del cor più dolce e cara
Movon que' grati sensi, ove s' impara
Linguaggio ignoto al basso volgo e vile:

Linguaggio d' alto senno in terso stile,
Di pura fede, e di modestia rara
Fra pregi illustri, onde superba e chiara
Verdeggia la tua fama a mezzo Aprile.

Tu dell' Amico nel tuo cor l' immago
Segnata prima co' color dipingi
Di toscano pennello illustre e vago.

Pur l' Amico non è quello che fingi,
Nè quell' onde tu vai sì lieto e pago.
Sei Tu quel *Degno* che in te stesso pingi.

IL NOSTRO SECOLO.

SONETTO II.

Il bene il mal, la verità l' errore,
Virtute e vizio alla virtute opposto,
Sono i noti elementi, onde composto
Ogni Secol fa mostra, e in fin si muore.

Dall' estremo bensì, che appar maggiore,
È per uso a ciascuna suo nome imposto
Di reo, di buon: ma il bene al mal frapposto
Col meno il più tu scerni a tutte l' ore.

Togli del ben le idee, e tutto il male
Prendi di tutti, Elpino, ed oltre ancora,
Che l' adombrarne il vero al fin che vale?

E grida, disse il vecchio Alcone, ognora
Si, che n' ascolti e Terra e Cielo: *È tale*
Il Secol nostro, e tuttavia peggiora.

AD UN PRELATO, CHE IMPUGNA LA PENNA CONTRO L'ERRORE.

SONETTO III.

Ohime! degli Empii in preda il sagro Tempio;
E la santa Cittade oppressa geme!
Ohimè! qual veggio orrenda strage e scempio,
Disperso il gregge, ed il Pastore insieme.

E voi con vile non più visto esempio,
E voi tacete, o Forti? o gloria, o speme
Del santo Loco! ah! Voi cedeste, e l' Empio
In campo è solo, e ognor n' incalza e preme.

Signor, così fra me dicea talora,
Quando scosse tuo dir i sensi miei,
E l' Empio vidi di se stesso fuora.

È salvo, allor gridai, nè più temei;
Signor, il Tempio è salvo. I Forti ancora
Sono fra noi, e 'l Duce lor tu sei.

PIETA' SINGOLARE DI UN DIO CROCIFISSO.

SONETTO IV.

Tanta nel mio cor dolcezza e tal mi scende,
Ove al meschino aita io porger tento,
Che per altrui pietà mio mal non sento,
E dall' altrui conforto il mio già pende.

Or comprendo di lui, che tutto intende,
L' alto immenso piacer, l' almo contento,
Onde se stesso in cento forme e cento
Versando, al nostro bene ognor attende.

Pur di umana pietà l' usato oggetto
È l' amico fedele, o l' infelice,
Che avverso voler non diè sospetto.

Ma dalla Croce un Dio ben altro dice.
In questo di dolori orrido letto
Moro, onde sia chi mi oltraggiò, felice.

ALLA DIVINA PIETÀ.

SONETTO V.

Signor, se a' pianti eterni il tuo rigore
  Al fin mi danna (lasso ahime! che appena
  Il penso sol!) nell' immortal mia pena
  Di me che fia? che mai dirò, Signore?

Dirò, che giusto troppo è il tuo furore,
  Che miei falli ridir non può mia lena:
  Dirò, che al merto del gran mal la piena,
  Anzi l' Inferno tutto, è assai minore.

Pur di giustizia a fianco ov' è la bella
  Antica tua pietà? dell' amoroso
  Paterno sen ov' è l' amica stella?

Ma se di questo mare al tuo riposo
  Me guidi absorto dalla ria procella,
  Dirò che giusto sei, e insiem pietoso.

SEGUE LO STESSO PENSIERO.

SONETTO VI.

No: Se all' eterno pianto il tuo rigore,
Anzi il fallir mio mi danna (ahi! che appena
Lo penso sol!) nella crudel mia pena
Te pur dirò pietoso, o mio Signore.

Che infra del mio delitto è il tuo furore;
Che miei falli ridir non può mia lena;
Che al merto mio del mio gran mal la piena,
Anzi l' Inferno tutto è assai minore.

Sì con Giustizia ancor salva la bella
Pietà vegg' io. Ma pur dell' amoroso
Paterno seno invan cerco la stella.

Dunque di questo Mare al tuo riposo
Me errante accogli dalla ria procella,
Perchè sei giusto, e Padre insiem pietoso.

CONTINUAZIONE.

SONETTO VII.

Che se mercede al fin la tua pietate,
La stanca tua pietà, Signor, mi neghi;
E sieno all' aure e voti sparsi e prieghi,
Che chiuso è il sen dell' alta tua bontate:

Volgi alquanto da me tue luci irate,
Deh! volgi, e soffri, che gli estremi io spieghi
Sensi dell' alma: e poi, se vuoi, si pieghi
L' arco fatale alle vendette usate.

Ecco il segno, Signor: ma pria che scocchi
Il giusto stral, di tua Giustizia degno
Fa che lo scopo sia, dov' ella accocchi:

Ma ti sovvenga poi, che all' alto impegno
Son io ben nulla, se il mio cor non tocchi
Doglia de' falli immensa, eterno sdegno.

CONCHIUSIONE.

SONETTO VIII.

Sì che di tue vendette, e del tuo sdegno
Un core umìl per grave doglia intensa
Della spregiata tua bontate immensa
Il giusto è solo ed adeguato segno.

Che un core al fin di sì bei sensi pregno
Un donò essendo, che tua man dispensa,
E tal che tue ragioni appien compensa,
Ben prezzo è sol di tua Giustizia degno.

Pietà se' l mira, e l' amoroso seno,
Onde a sperar l' affidi, a lui presenta,
Che per troppo temer verrebbe meno.

Non è per questo, che il bel corso allenta
Il dolce pianto, e che i sospiri han freno.
Giustizia, or sì ch' esser tu puoi contenta.

PER LA SANTISSIMA ANNUNZIATA.

SONETTO IX.

Giovane Drago ad un bel ramo avvolto
Di fatal tronco in lusinghieri accenti
Scioglie l' infida lingua, e gli occhi intenti
Donna in lui tien secura e lieta in volto.

Ben da questa diversa, in se raccolto
Il core umile e 'l viso, agl' innocenti
Detti di un Angel pave, e sospir lenti
Move altra Donna, e molto pensa e molto.

Scordò colei se stessa al varco estremo
Di promesse gradite al suon non vero.
Donna, del tuo fidar oh! quanto io temo!

Costei rammenta l' esser suo primiero,
E trema al pondo dell' onor supremo.
Donna, del tuo temer oh! quanto io spero!

PER LA NASCITA DI NOSTRO SIGNORE SUL PASSO DELL' ESODO Cap. 23.

Non enim videbit me homo, et vivet.

SONETTO X.

No: che mi vegga l' uom caduco, e viva,
Giammai non fia. Che di mia luce al fonte
Pupilla tal non bee in bassa riva:
Sì disse Iddio, e ancor ne trema il monte.

Ma poi che il raggio dell' augusta fronte
Velo coprìo d' umana spoglia e viva,
L' altero lume, e senza danno ed onte,
Ferma sostenne in viso, e non più schiva.

Così se avvien che in vaga nube accolto
Il Sol contempri i raggi suoi, securo
Uom ne vagheggia il desiato volto.

Ma poi che a mezzo dì raggiante e puro
In suo seggio risplende; ben fia stolto
Chi affissarvi presume il guardo impuro.

SULLO STESSO ARGOMENTO.

SONETTO XI.

Quando, gran Dio, dal tuo poter superno
Dal nulla tratte queste cose io miro:
E quanto in lor v' è di stupendo ammiro,
Disegno sol di tuo consiglio eterno:

Poi che cercando invano io non iscerno
Il dove, il come di lor nulla uscìro,
Il come, il dove infra di lor si unìro,
Tremante e muto nel mio sen m' interno.

Ma quando poi bambino, o mio Signore,
Per me ti veggo in dolce aspetto e novo,
Di grazia pien, di leggiadrìa, d' amore;

In me non più m' inselvo, e più non trovo
Allor me stesso in me. Fugge il mio core,
E dentro il petto mio più no' l ritrovo.

ORAZIONE *ALL' ORTO* MADRIGALE

Per me t' angi, Signor, e preghi e sudi,
E 'l tuo sudor è tale,
Che ruscelli di sangue al suol trasudi.
Estrania cosa, e quale
Non più vide natura, o intese mai!
Ma ve' mostro di tal maggiore assai,
Che mentre, o Dio, per me tu vegli e tremi,
Io dormo sol ne' miei perigli estremi.

SALITA AL CALVARIO.

SONETTO XII.

Piangenti vie, che del Calvario in cima
Menate ahi! lasso il Redentor del Mondo;
Ove che sudor traccia, od orme imprima
Il divin piede, io bacio e 'l viso ascondo.
Ma in te m' affiso, amato Legno, in prima,
E 'l pianto mio col sangue tuo confondo:
In te cui nulla il mondo folle estima
E del cui prezzo a te s' attiene il pondo.
In su l' Armene vette il primo Legno
Fermò di nostro seme i danni e l' onte,
Quando fu d' acque solo e campo e regno.
Nè fia che di te senza alcun sormonte,
Novo Legno vital, di morte il segno.
Ma teco gir conviene infino al Monte.

Cujus

Cujus imperium super humerum ejus.

SONETTO XIII.

Strigne lo scettro, e con altero piede
Calca Rege mortal regno terreno:
E tanto più, quanto su quello appieno
Temuto grava, di regnar ei crede.

Sotto l' Impero suo, in cui la sede
Eterno Amor già pose, ecco vien meno
Di sangue e sudor molle il Nazareno
Più grande Regnator, al par ch' ei cede.

E fia ch' al cader suo forza riceva
Il novo Impero sì, come vigore
Dal ligio regno suo l' uomo rileva.

Forza ch' ogni altra forza inchini e onore
Umil così, come maggior si leva
Su' regi tutti il chino mio Signore.

MARIA A PIÈ DELLA CROCE.

SONETTO XIIII.

Vedi colà su crudo Legno atroce
Uomo trafitto, ed a spirar d' appresso!
E vedi a piè del crudo Legno stesso
Donna immobil nell' atto e nella voce!

Dell' Uom la bella Donna affiso in Croce
Madre è verace: e della Donna anch' esso
Figlio verace è l' Uom. Pur segno espresso
In lei non vedi d' aspro duol feroce.

Bevve letargo mai? ovver che immuni
Nel Figlio i sensi d' ogni neo non crede?
O fia ch' al cor diaspro e smalto aduni?

Ah! che quel duol ch' ogn' altro duolo eccede,
Per le note del duol strade comuni
Far non puote di se prova nè fede.

Vedi la versione latina a pag. 103.

SULL' ASCENSIONE DEL SIGNORE.

SONETTO XV.

Al vederti, Signor, su crudo Legno
Di sudor, di pallor, di sangue tinto
Chinare a morte in braccio il capo estinto,
Del fral che vesti qual più chiaro segno?

E te vedendo poi nel tuo bel Regno,
Di morte il fero stral spuntato e vinto,
Girne d'eterno onor, di gloria cinto;
Dell' esser tuo divin qual più gran pegno?

Così cedendo a morte il frale ammanto,
La legge del morir ne additi a noi,
Legge cui di schivar nessuno ha vanto.

Ma di morte calcando il fasto poi
Pien di vita immortal, ne mostri intanto,
Ch' eterni unqua non sono i vanti suoi.

Vedi la versione latina a pag. 103.

ALLA VERGINE TRIONFANTE.

SONETTO XVI.

Come chi desto e piede e lumi ferma
In Reina Città , di cui l' immago
Formò sognando , d' ammirar non pago
Ride l' antica sua credenza inferma ;

Tal di me sia che in buja notte ed erma
Di te scrivo , Reina , ove che vago
Ti scerna un dì (se 'l core è ben presago)
Di maestade in solio assisa e ferma.

Pur terrena Cittade , almen simile ,
Sebben superba manco , uman desio
O scorse , o dir n' intese in chiaro stile.

Ma il bello , ove d' amor caldo m' invio ,
E ond' io ragiono in fioca voce umile ,
Occhio non vide mai , nè orecchio udio.

ENIMMA.

SONETTO XVII.

Di Madre cieca irrequieta Figlia
Nasce, e divien la Figlia madre anch' ella;
Ma di Figlia però sì vaga e bella,
Cui nulla in sua beltà vince o somiglia.

Nata appena è costei, che già consiglia
Di tórre all' ava il velo agile e snella.
La Madre indi guatando, e questa e quella
A spegner vola con ridenti ciglia.

Mirabil cosa! d'ambedue la morte
Opra è d'un colpo sol. Che incontro a tanto
Scudo non valse mai, nè ingegno o sorte.

Pur la vaga crudel e merto e vanto,
Non biasmo o danno avvien ch' indi riporte.
Chi è la Figlia, la Madre, e l'Ava intanto?

PER UNO STAMPATORE

CHE RACCOMANDASI AL SUO MECENATE.

SONETTO XVIII.

Oblio, di tempo inesorabil figlio,
Atro nembo spandendo, ognor le chiare
Opre di man, d' ingegno in vile esiglio
Spignea fra l' onde d' intrattabil mare.

Ragion, da caso un dì tolto consiglio,
Al danno accorse, portentose e rare
Note immortal segnando, onde sgombrare
Si vide il nembo, e sciolto il rio periglio.

Salve del Cielo arte divina, a cui
Sagrai miei giorni dalla verde etate,
Sudori, e veglie senz' invidia altrui;

Per te nè ricco fui, nè in povertate:
Ma poi che a me rivolse i pensier sui
Dorin, vedrò le sorti mie cangiate.

SULLA PURIFICAZIONE DELLA SS. VERGINE.

CANZONE I.

Donna, del tuo candore
Il bel pensiero e l' alta voglia intensa
Del tuo Sovran Fattore
E Sposa e Madre con tua gloria immensa
Un dì ti feo: e se di Madre al nome
Pave l' alma gentil, s' alzan le chiome,
Fu sol perchè di Madre il dolce vanto
Tu nemico temesti al desir santo.
Ma fur tnoi dubbj sciolti,
E 'l cor rimase di sua pace donno,
Quando i bei lumi volti
Modestamente al suol, come chi sonno,
O sopor dolce in sul mattino invita,
Alta promessa, arra gentil di vita,
Dal Messaggier celeste, o Donna, udisti,
Che sien la Rosa e 'l Giglio in un commisti.
Misto alla rosa il giglio,
E intatto l' un, vergine l' altra sia.
O sol di lui consiglio,
Al cui volere eguale il poter fia!
Stupì Natura alle non viste cose,
E per santo rispetto il capo ascose.
E tu Vergine e Madre in te gli egregi
Vedi accolti fra loro opposti pregi.

Perchè di core umile,
Nel dolce sen l' eterno Sol s' asconde:
Ma 'l sommo onor gentile
Di piacergli così non fia ch' altronde,
Che dal Vergine cor unqua s' apprenda.
O di Vergine cor forza stupenda,
Chi fia che teco di pugnar presume,
A cui s' inchina amante e sposo il Nume?
Ma quali in questo giorno
E tempio ed ara e sacrifizio io miro?
E te quivi d' intorno
Io veggio pur, Vergine bella, in giro?
Ah! lungi. . delle Madri il loco è tutto,
E 'l sagro rito. È ver ch' anche tu frutto
Vanti di sen: ma di Vergineo stelo,
Unico frutto al Mondo, come in Cielo.
Ma quì del Giusto l' ombra
Ancor s' immola: Eccol fra schiava torma
Infantil che n' ingombra
Se ricomprar di dura legge a norma.
Del Giusto l' ombra, e non il Giusto ancora
Oggi s' immola, che giustizia onora.
Altro tempo, altro loco, altr' ara attende
Del Giusto il sangue ancor senz'ombre e bende.
E del vergineo onore
L' ombra in questo giorno ancor s' immole.
L' ombra, ma non il fiore,
Onde sì bella apparve al sommo Sole.
Delle Madri comuni infra la schiera
Vedi la Verginella, qual prim' era

Del partò uso gentile, in esso, e poi,
Finchè pietosa ascolta i servi suoi.
Vergine, addio. Tu madre,
Nè più di tal, al cieco mondo appari:
Che solo al sommo Padre
Della Figlia di Sionne i pregi rari
Son chiari, e 'l bello che in suo core asconde,
Qual sue perle conchiglia in mezzo all' onde.
Oh! ben dì te felice Madre e bella,
Che tal non vide mai Sole, nè Stella!
Ma fia che giorno vegna,
Onde di Madre ancora il grato incarco
Abbandonar convegna
Di doppio legno atroce al crudo varco;
Vergin così mal conosciuta, e in uno
Orfana Madre senza Figlio alcuno.
L' atto primier già compì: ed il secondo
Attende ad ora ad or l' afflitto mondo.

DISCESA DELLO SPIRITO SANTO.

CANZONE II.

Qual da lungi improviso io suono ascolto,
E turbin veggo agitator possente
Per l' ampie vie del Sole
Ver la terrena mole
Mover veloce sì, che pigre e lente
Foran pupille in lo seguir; e folto

Di lingue stuol serpente
Veggo fra mille e mille
Luminose cocenti auree faville!
Sol pacifici Agnelli in chiuso loco
Cerca la sagra fiamma, e sì gl' investe,
E in stranie forme e nuove
Di se gli accende e muove,
Che dentro e fuor cangiata è omai lor veste.
Tutto è senno, vigore, e tutto è foco,
Tal ch' altro ormai non reste
Di lor costume antico,
Ch' il fido core d' innocenza amico.
Gli veggo ad Orsi incontro, e Tigri, e Pardi,
E Pantere, e Lioni arditi farsi
Col resto delle belve,
Terror dell' alte selve.
Veggio di loro e velli e membri sparsi
Al suol da queste, che non sorgon tardi
All' ire; ma calmarsi
Le veggo poi, e 'n brev' ora
Agnelli ritornar le belve ancora.
Ovunque il Sole i raggi suoi diffonde,
Il dolce lor belare alto s' intende.
D' Atene il sagro ulivo
Sempre superbo e schivo,
E di Mario la quercia invan pretende
Col vario mormorar delle sue frondi
Opporsi: al fin s' arrende,
Ed in più grato stile
Impara ad esser altamente umile.

Ma a quel che io sento è nulla ciò che veggio.
Sento amaro il piacer, dolci le pene,
E povertade bella,
E senza pregio quella,
Che l' alme ingorde in aurei ceppi tiene,
E parmi il peggior meglio, il miglior peggio.
Del cor cercò le vene,
E santa ebbrezza io provo:
Cerco nel mondo il mondo, e più no 'l trovo.

A GESÙ BAMBINO.

CANZONETTA III.

Non ha guari in rozza cuna
Un bambino io rimirai
De' bei fior più vago assai
Del ridente e dolce April.
Il musin di minio avea,
Ed alquanto tumidetto,
Rose e gigli nell' aspetto
Tutto amabile e gentil.
Nel bel cerchio d' eban fino
Un occhiuzzo risplendea
Sì vivace, che parea
Penetrare in mezzo al cor.

Quindi un bue e un asinello.
  Quindi un Veglio colla Sposa
  Senza indugio e senza posa
  Gli fan corte e vezzi ognor.
Io m' appresso, ed un bel pomo
  Gli presento piano piano:
  Ei mi guarda, e poi la mano
  Stende il pomo a guadagnar.
Ma ben tosto sdegnosetto
  Il bel pomo getta via:
  Poi mi guarda, e par che sia
  Altro intento a desiar.
Quel ch' ei voglia, io non comprendo:
  Solo un bacio allor gl' imprimo
  Sul musino, ed egli il primo
  Stende il labbro incontro a me.
Coglie il bacio, e poi sorride,
  E qual uom che gran tesoro
  Acquistò di gemme ed oro,
  Gode e brilla fuor di se.
Io mi parto e nulla intendo:
  Ma partendo nel mio petto
  Dolce ardor porto ristretto,
  Che mi strugge notte e dì.
Cerco il core, e più no 'l trovo
  Entro il povero mio seno.
  Folle! or sì comprendo appieno,
  Ch' il bambin me lo rapì.

Ah! quel bacio, ah! quel sorriso
  Volean dir che non più mio
  Il mio cor sarebbe, oh Dio!
  Ma del caro mio Gesù.
Dolce bene, io no' l contendo:
  Anzi tutto tutto tuo
  Vò che sia, e non più suo,
  E ch' a me non torni più.
Ma però ti vò avvertire,
  Che un dì forse l' uccellino,
  La cervetta, o 'l gelsomino
  Tel potria di man rapir.
Tu perciò, che ben lo puoi,
  Colle dolci tue catene,
  Tu lo annoda così bene,
  Che non possa più fuggir.

SCHERZO DI PAROLA.

Tu *sei*? ch' il disse mai?
  Se *sei*, non *sei*, che tale *esser* non puoi
  Quello ch' adesso *sei*, e d' esser brami.
  Ma in parte pur tu *sei*, e non lo sai.
  Dalla figlia saperlo invan pretendi:
  Dalla madre il ricerca, e sì l' apprendi.

PER UN CIMITERO.

Iscrizione.

Mal distinto dall' Empio il Giusto visse.
Distinse morte d' ambidue la sorte.
Ve' qui confuso nello stesso loco
Ceneri d' ambo ed ossa.
Ma del gran dì nella terribil ora
Niente all' Empio comun col Giusto fora.

PRODROMUS

AD. COMITIA PROVINCIALIA

ORD. PRAEDICAT. S. MARCI CAVOTORUM

In Conventu Divae Annae Montis Militum
Pro anno 1799.

ORAT I.

Quandoquidem, Patres Selecti, singulari huc tandem, planeque insperato Dei beneficio, aliquando convenistis Comitia habituri Provincialia, mihique datum negotium in summa animi mei aegritudine, viriumque dejectione iisdem sermone prodromo qualicumque de more praeludere, haud ego vos eo in officio persolvendo distinebo fucata Oratione, longeque accersitis exordiis. In tam negotioso etenim, omniumque gravissimo vestro consessu, in tantis non privatis modo Provinciae nostrae, sed et totius, quâ quâ longissime patet, terrarum Orbis jacturis, et calamitatibus quidvis potius, quam,

. . . *Ista sibi poscit spectacula tempus.*

Et pro Publicis quidem, quamquam eae ad nos plurimum; tamen quando aliud per nos non licet, studiis incensissimis unâ assidui Dominum pacis deprecemur. Verum ad privatas quod attinet Pro-

viciae nostrae, ex quibus publicae pendent nonnihil, et pendebunt porro, jure, ut ajunt, colliminii; est praeterea, quod ipsi per vos, collatis operis, Patres selecti, hisce ipsis Comitiis Provincialibus afferre in Domino, et valetis, et debetis. Parumper modo favete animis, quamdiu id ego, assentatione omni sepositâ, paucis expedire, aut verius, adumbrare conabor.

De Provinciae nostrae Successore dando serio vobis, ut par est, cogitantibus, non dubito, quin eo in praeconcipiendo, ac veluti intra vosmet informando, non semel occursarit animo *Pastoris boni* imago, cujus ad amussim expressum illum omnino velitis. Bene id quidem inprimis, idemque auspicatissimum. Ab hoc siquidem uno accisis, et ad perniciem paene profligatis Provinciae rebus salus est expectanda. Et quando aeternus animarum Episcopus Pastoris *boni* nomen in aures animi insusurravit, confidendum plane, uti eodemmet praeeunte viam, et quae Pastoris boni partes sint, minime ignoretur, et quo in eum itinere rectâ sit contentendum, apprime teneatur; quorum alterum, ut videtis, Pastoris proprium, alterum vestrum est totum quantum est. Quanquam autem nihil eorum, quae ad utrumque attinent, latere vos queat, qui et honorum dignitate, et doctrinae laude, et totius vitae usu *forma gregis facti* estis ex animo; cum interim ex multis non pauca utrin-

que

que sint, quae et ipsa per se, et temporum praecipue habita ratione, nunquam satis urgeri posse videntur, his mihi unis in toto Orationis huius qualiscumque tenore insistendum proposui.

Ergo ut a primo illo exordiar, cum duplex Pastoris officium sit, et concreditas sibi Oves alere, et singulas, ad minimam quamque, domino suo in accepti ineunda ratione incolumes servare, in priori illo non multus ero. Non quod ipsum in se gravissimum non sit, sed quod non multum facessere negotii videtur, patentibus ubique doctrinae divinitus traditae pabulis, ac fontibus saluberrimis, a quibus nec volentes recedere Pastores queant, si modo super Cathedram Moysi sedeant, idest in verâ Christi Ecclesiâ sint. Quandoquidem in Cathedrâ non suâ, ut nostis, quae sua sunt, Pharisaei licet, et Scribae, loqui omnino non possunt. In alterâ ergo officii sui parte praestandâ labor omnis situs videtur, in quam non una satis est *philosopha*, ut quidam ait, sententia, sed et praeter exemplum sui undequaque illibatissimum, sua etiam collocanda est opera, eaque non ignava, immo omnium improbissima, et nunquam porro quacumque ex causâ intermittenda. Verum et in quonam sua haec illius impendenda praecipue opera sit, ne in ovium subducendis rationibus frustra adlaborasse deprehendatur, non pigeat investigare. Quâ in re dicam, Patres, quod sentio, et liberrime dicam.

In grege Christi, ut nostra nunc potissimum tempora ferunt, cavendum maxime Pastori ab hircis est, qui sub arietinis pellibus, iisdem pascuis, in iisdem fontibus, ut Augustinus loquitur, oves inter, agnosque lasciviendo, atque universa turbando vagantur. Nam quoad ovium interest, quantum in ipsis est, non difficilis admodum videtur ratio. Etsi enim ex his et *infirmae* esse possint, et *aegrotantes*, et vero *errantes* etiam, idest, aut sanae illae quidem, sed non satis instantia adversum pericula munitae, aut vitiorum quoque tabe languentes, quin et a Fidei norma aversae; quod tamen norunt adhuc Pastorem suum, vocemque ejus audiunt, levari eiusdem humeris queunt, ipsoque adnitente, ad sanitatem, viamque pristinam revocari. Ab hircis ergo timendum quam maxime est, qui tales cum sint, sperandum nullatenus est, ut in bonos arietes evadant, et ferendi omnino in grege Christi sunt ad diem usque novissimam, tum demum seorsum ab ovibus, et agnis laevam in partem sejungendi. Assuetis namque pascua, fontesque puros pedibus proculcare, quid reliquum est esurientibus unâ, ac sitientibus Ovibus, quam ut conculcatas herbas attondeant, conturbatasque aquas ebibant? Per vepreta iterum palari solitis, per et montium abrupta reptare, et avia locorum, seorsum ab Pastore, reliquoque grege, lustrare, quid pronius, quam ut Ovium,

quas non paucas, nec raro secum abstrahunt, et lana spinis discerpatur, et corpora aut in praeceps agantur, aut in lupos incurrant miserrime dilaniandae? Sed quid mutuatae ab Ezechiele Propheta allegoriae delitescere ultra sinimus germanam significantiam?

Sunt hirci ejusmodi arietum sub pellibus latitantes quidam adolescentium nostrorum educatores pessimo publico agentes, quorum quousque licentia processit, ipsi per vos melius intelligitis, quam ut complecti ego oratione queam. Nam praeter quam quod iisdem exemplo suo auctores perpetui fiunt, quo extra officiorum septa impune vagentur; ecquis crediderit, nisi experientia tandem vel nolentes revicisset, sinceros doctrinae fontes novorum dogmatum pestibus imbutos identidem propinasse incautis? Hinc patriarum legum observantiâ nudati pimum, tanquam lanâ, agni nostri, seculi hujus cupiditatum spinis, aculeisque mirum in modum intra sese excruciari: mox, ubi data potestas, ducum suorum fines praetergredientes in omne sese vitiorum genus liberrime effundere, maximó non sine Ordinis dedecore, ac detrimento, summoque familiarum suarum moerore, opprobrioque, quae alienae in suos olim parvulos proditionis poenas luere coguntur. Ignoscite, Patres, si quando recens impressi vulneris, nullâque temporis medicina obducendi recordatio in hunc locum

vel incogitantem pertraxit. Nam quod adolescentium nostrorum quosdam amissos insolabiliter lamentamur, alios querimur (qualem, bone Deus! quamtamque olim spem gregis) quasi sine spe errantes; ecquibuscum denique expostulabimus, quam cum id genus hircis, quos in agnorum nostrorum caulam semel invectos, cum interim ab eis toto caelo, terrâque fuissent disterminandi, per fas, per et nefas cura fuit tueri?

Quaenam porro exhinc in gregem universum consectaria? talia nimirum, quibus ne cogitando quidem concipi foediora queant. Placet ea ejusdem Ezechielis semel in scenam producti verbis complecti. Et *dispersae sunt oves meae* (sic ille) *eo, quod non sit Pastor*. Utique non est pastor, quando hircis post se Oves ad perniciem agentibus pastorali virga *usque ad sanguinem*, ut Apostoli verbis utar, et non tantum citra privatae tranquillitatis praejudicium, fortissime non resistitur. Sequitur: *et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri*. O rem luctuosissimam, nullisque unquam lacrimis satis pro merito expiandam! Oves ergo dispersae factae sunt in devorationem, non unius, aut alterius, sed omnium bestiarum agri. Bestias agri puto vos heic animi humani pravas intelligere cupiditates, quorum ob oculos versatur illud Iacobi de filio suo Gen: 37. *fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph.* Si semel

ergo hircis relinquantur agni, hoc est, Adolescentes nostri pravorum institutorum permittantur arbitrio, continuo nullum nequitiae genus erit, quod non in eos longe, lateque grassabitur. Atque utinam, quae hucusque, Scripturarum stilo, propria allegoricis intermiscendo sumus prosecuti, ea minus apte, belleque in Provinciae nostrae alumnos plerosque fere omnes quadrarent! Ecquid enim nefariarum seculi hujus cupiditatum est, ecquid morum efferatiorum, quod per has temporum vicissitudines nostra in Claustra, non clam, et per cuniculos irrepsit, sed propalam, facto agmine, non irrupit? Absunt-ne inde jurgia, contentiones invidiae, fraudes, colloquia prava, turpis lucri studium, ambitus, luxus, quaeque luxum sequuntur, cetera, quae consultius multo silentio premam, quam incauta oratione promam? Rursus ignoscite, Patres, si ad haec iterum deflexit Oratio aliquanto fortasse liberior. Eo enim processit vulnerum nostrorum pus atque venenum, ut jam caritatis veluti dibapha tegi amplius non possint, sed omnino in apricum posita igne, ferroque sint tractanda, si quid super extremis in morbis spei sit in medicinae ope. Quae olim domus nostrae inter mundi hujus fluctus periclitantibus stationis fidissimae loco erant, jam nunc et stantium periculum, et tantum non certissimum evasere naufragium: Nec alium in finem raptos ex matrum uberibus in-

genuos pueros recipere sua intra septa videntur, quam ut serius ocyus genus omne belluis dilacerandos securius tradant. Vae tamen hircis, ovium juxta, atque agnorum exitio, quos inter, atque arietes paullo fortasse in speciem serius, quam pro bonorum desiderio, sed tandem aliquando judicabit Dominus! Vae et multo magis Pastoribus Israel, si quos tam nefariae in oves suas proditionis reos agi contigerit apud summum animarum Episcopum, et Pastorem! Gregem suum videlicet requiret ille de manibus eorum, qui *lacte* tantum, *lanaque* contenti, idest, quaestus dumtaxat, honorisque ambitum sectantes, ut laudatus saepe Hipponensis Antistes, se ipsos, non gregem paverunt!

Expergiscatur itaque futurus Provinciae Rector, serioque in animum inducat, cum pueris in universum maxima, vel Ethnici poetae judicio, debeatur reverentia, tum nostrorum in primis sedulam, sanctissimam, nunquam intermissam habendam fore rationem, si Provinciae nostrae novam veluti formam, equidem pernecessariam, frustra tamen ad id usque temporis exoptatam, inducere sit animus. Agat pro viribus, viresque ei sufficiet Dominus, et quando Pastoralis virgae tam laeta adfulget spes, uti in pristinum jus plenissime vindicetur, compescat, arceat, disterminet ab ovibus iuxta, ac agnis hircos, haedosque, hircorum damnatas propagines. Habeatur arietum delectus, ut non quicumque juventuti nostrae praeficiantur, sed

qui prae ceteris praeire eidem valeant ad literarum, solidaeque pietatis normam instituendae. Oves etiam ipsas, non dicam, infirmas, non aegrotantes, eoque minus errantes, sed vel integras, robustasque caveatur ad ipsam promiscue admittere, unis his exceptis, iisque selectissimis, quas eidem alendae addere maturrimo sit consilio definitum. Eâque in re infixum penitus animo sit, tantam esse Constitutionum nostrarum sollicitudinem, tantam prudentiam, dicam etiam, religionem tantam, ut quos Episcopali alias in familiam suam universam gaudere jurisdictione Priores magnifice praedicant, his neque aditum pro lubitu ad eam patere sinant, sed raro admodum, et magnis de caussis, nec nisi gravissimorum Patrum veluti praesidio stipatis. Illud demum meminerimus, Ordinem nostrum Pontificiis diplomatibus *veritatis Ordinem fuisse* nuncupatum, talemque se ad plura secula Orbi Christiano probasse, non *temporis*, cui nunc universa adcomodanda praecipiuntur ad legum usque sanctissimarum violationem. Quae omnium miserrima, nostroque prorsus nomine indigna distinctio utinam non balbutientium etiam nostrorum esset ore protrita, multoque magis moribus confirmata! Atque haec, Patres ornatissimi, temporum nobis quâ quâ versum introspicientibus indolem praecipue visa sunt, in quam Provinciae Prior auctoritatis suae vires omnes, nervosque intendat. Det illi Dominus, ut his

praestandis, ceteris minime neglectis, officii sui partibus, talem se praebeat, ut ad boni Pastoris exemplum non dubitet et animam suam ponere pro ovibus suis.

Alterum superest, idemque ultimum Orationi nostrae propositum, quod vestri juris totum est, Patres selecti, ut initio monueram: quâ nempe viâ in Pastorem ejusmodi, nomine suo revera dignum, sit contendendum. Brevis admodum ea est, expedita est, certissima est, quandoquidem digito illam commonstrare ipse Christus Dominus minime gravatur: *Intret per ostium*, *et non per fenestram*, quod proprium furis est, et latronis. Iam vero quale ostium ejusmodi? aut ubinam quaerendum istuc est? *Ego sum Ostium*, ipse de semet inclamat Christus Dominus. Quaeratur ergo in Pastoris selectu Christus Dominus: invenietis sine dubio Pastorem. Quemadmodum autem Pastorem decet in alendo grege, quae Jesu Christi, non quae sua sunt, sectari, ita et in Pastore designando, Ovium, non privatae designantium quaerendae utilitates sunt. Facessant igitur procul partium studia: facessant privatae rationes, ubi negotium Christi, non hominum, agitur; et prodibit mox, non sine interiori Deo, tanquam sponsus procedens de thalamo suo Provinciae Rector, cujus speciem ad *Pastoris boni* exemplar ex parte deformare utcumque, Domino opitulanse, curavimus. Amen. Amen. Amen.

DE LINGUAE LATINAE UTILITATE

Pro anno. 1818.

ORAT. II.

Latini idiomatis peritia ad ceteras disciplinas omnes et rite adeundas, et recte addiscendas quanti praesidii sit, vanus profecto sim, si apud viros tantos pluribus ostendendum aggrediar. Nam ut doctorum virorum eâ de re perpetuam consensionem omittam; ut nihil dicam de penitioribus cujuscumque generis ad id evincendum rationibus: quid ad quotidianam, quid ad omnium retro ante seculorum experientiam reponi vel a pervicacissimo poterit, quâ docemur, disciplinarum, artiumque universarum astrum, ut ita dicam, mirifico usque modo cum linguae latinae studio consensisse? ut nimirum, hoc seu intento, seu remisso; illas item intentas, remissasve gradibus paribus sit conspicere? Plenae sunt veritatis hujus virorum sapientium mentes; plena veterum monumenta, plena in primis renatarum, quae dicitur, literarum historia, abs divino usque Aligherio, indeque per suavissimum italicorum principem Lyricorum Petrarcham, elegantiarumque omnium patrem, Iohannem Boccaccium ducta.

Quae cum ita sint, quid de hesternis hominibus quibusdam dicemus, quibus persuasum erat, de adolescentium manibus excutiendos omnino libros illos omnes totius sapientiae, eruditionisque refertos, qui classici dici vulgo consuevere, suntque tales re ipsa κατ' ἐξοχήν? Eos, qui ita censent, sint quivis licet, et quantaevis auctoritatis, male omnino de re universâ literariâ publicâ meritos, jam dudum uno ore pronuntiatum, rectissimeque pronuntiatum est.

Quo majores per nos iis habendae sunt gratiae, quibus florentissimi hujus nostri Lycei medico-chirurgici cura demandata est; quibus in hac novitiarum opinionum grassante lue nihil antiquius, sanctiusque fuit, quam ut romani sermonis, patrum scilicet nostrorum, orbisque olim universi dominatorum, locum, dignitatemque tuerentur; lege lata, ut ne cui ad medicam lauream pateat accessus, qui non ante se latinae linguae usu ac familiaritate probarit. Quo profecto nihil rectius ad poeticae etiam historiae fidem, quâ gravissimas plerumque contineri veritates, praeceptaque saluberrima, ecquem latet? In fabulis igitur, qui ingenuarum artium, lyraeque auctor, Apollo, idem medicae artis Deus perhibetur; ad insinuandum, credo, medicinae professore, docto juxta, atque elegante viro, nihil contingere optatius posse.

Scio, quid ad haec nonnemo vestrum, o socii, erit fortasse repositurus: nempe ad haec non sine nostrum cujusque famae periculo, improboque labore deveniendum, si tandem devenire contingat. Sed apage ab ingenuâ, honestâque iuventute ignaviae voces, ac dehonestamenta. Et quando nec ad vitia, nisi per magnos labores iter est; ad vitia, inquam, quorum ignominiosa est via, viaeque finis interitus certus: quanto pro virtute contendendum magis, cujus et semitae honestissimae sunt, et fructus uberrimi, omnique fine carituri?

Unum interea, Judices, monitos vos, oratosque volo, finemque dicendi faciam. Periculo, quod nunc primum sumus subituri, impares quidem nos et sentimus, et non sine ingenuo pudore fatemur. Sed quisquis demum futurus exitus illius sit, aequum est in primis, vos nunc prospicere, non quales ipsi vobis pro praesenti jussi sistimur, sed quales paucos hinc ante menses eramus, cum primum in hanc palaestram adducti sumus: quâ in re Praeceptoris nostri ante omnes fidem integerrimam, non fidenter tantum, sed audacter etiam, si id necesse sit, invocamus.

DE LINGUAE LATINAE UTILITATE

Pro anno. 1819.

ORAT. III

Superiore anno, studiorum nostrorum rationem reddituris, de linguae latinae in universum utilitate, ac necessitate praeloqui visum fuit. Quid nunc potissimum hoc eodem in loco, eodémque in periculo constituti praefabimur, judices sapientissimi? Ne pluribus vos frustra distineamus, propositum nobis est hodiernâ die methodum exponere, quam insistimus, ut in linguae hujus usum familiaritatemque quam maturius pro nostro captu, institutoque veniamus. Proposita res non curiositate, sed utilitate se commendat. Habebit ad haec adjunctam brevitatem, quanta non sit perspicuitati praejudicatura. Linguis igitur, animisque favete.

I. De auctore in primis agendum fuit, qui facem nobis in itinere sane non unius diei, et satis aspero ac senticoso, praeferret: quâ in re diu haerere, ac dubitare, res ipsa minime sinebat. Quibus enim artis medicae praecepta unice sunt nunc constituta, ecquis alius a Celso dandus prae manibus auctor fuerat? in quo quidem nomine vim tantam, auctoritatemque inesse putamus, ut eo audito, omnis consilii nostri ratio aequis rerum

aestimatoribus illico sit probanda. Nam ut opes illas pretii quantivis omittamus, quas ad rem medicam abunde ille praestat, quamobrem Hipocratis latini nomen omnium seculorum consensione jure sortitus est: quis eo in docendo aptior? quis in verborum proprietate ac selectu accuratior? quis brevitatis juxta, ac summae claritatis studiosior? in uno Celso et Taciti breviloquentiam sine ambage, aut hiatu; et Tullii castitatem sine ingenii, verborumque luxuriâ; et Crispi robur sine ullo pulvere archaico, et admiramur, et exosculamur: eoque uno demum proposito, et ad medicas rationes satis, et ad latinae linguae notitiam, quantum nostra nunc interest, plusquam satis consultum nobis videri potest.

II. Sed Celsi dapes, si datur verbo venia, quâ ratione curatum sit nobis apponi, operae pretium non leve existimamus, vel leviter delibare. Praeceptori nostro amantissimo jam dudum persuasum firmissime est, linguarum studium, graecae in primis, latinaeque, longe aliâ viâ ineundum tractandumque esse, ac iniri tractarique ceterae disciplinae ad unam omnes solent. In mathematicis enim, ut hoc unum ad omnium instar sit exemplum, qui in uno, alterove Euclidis libro insudavit, non idcirco, quae ejusdem sunt facultatis, reliqua omnia perspecta, ac veluti in numerato habebit. Verum ubi de linguis agitur, qui unam,

alteramve pagellam animo penitus, nec specie tenus, comprehenderit, nec in eo dumtaxat, quod sententiam summatim respicit, sed in eo multo magis, quod ad vim, originem, nexum, aliasque verborum adfectiones pertinet cum seorsum, tum conjunctim inter sese acceptorum: jam hic nunc integris idiomatis ejusdem voluminibus aggrediendis, quicumque tandem ii sint, par censeri debet. Quorsum haec, dicet fortasse aliquis? nimirum ut praeceptoris nostri consilium, unâque consilii ratio pateat, qui paucas admodum Celsi lineas pro quaque die admetiri nobis consuevit; illas tamen non εν παροδῳ, idest *obiter* percurrendas, sed quoad licet introspiciendas penitissime, exigendasque ad severioris seu της ανατομης, e nostra penu mutuato vocabulo, seu της αναλυσεος, quam dicere mavelimus, normam, rigoremque.

III. Ne tamen, quod fere usuvenire solet, dum in demortuâ patrum nostrorum linguâ addiscenda laboramus, nativum florentemque nostrum vix balbutire sermonem videamur; cautum prudentissime est, ut quae more suo quotidie praeceptor de Celso post nostrum cujusque periculum italice reddita pronuntiat, eadem ipsi nos verbum verbo, suis cum interpunctionibus, eorumque omnium observatione, quae vulgo της ορθογαφιας nomine veniunt, fideliter excipiamus. Quod exercitationis genus quantum ad linguae utriusque saporem

nativum percipiendum, usumque firmandum emolumenti affert, ipsi per vos, judices, melius profecto intelligitis, quam complecti nos oratione valeamus.

IV. Atqui haec quidem omnia, nemine, uti arbitramur, diffitente, opportuna, utilia, egregia dicenda sunt, et quidquid demum in sententiam eamdem dici aptius potest, si quid dici aptius potest. Verum enimvero, si quid experientiae rerum magistrae deferre oportet (deferri autem plurimum et solet, et debet) nunquam profecto haec universa talia censenda, in quibus linguarum addiscendarum cardo praecipuus versetur. *Nullam artem literis sine interprete, et sine aliqua exercitatione percipi posse*, Tullius, auctor sane idoneus gravissimusque, jam dudum pronuntiavit (1). Quid igitur? Stilus ante omnia assiduo scribendi usu exercendus ad illorum exemplar, quos tibi imitandos proposueris. Da hominem ingenio quamvis praepollentem; da veterum lectione nocturna, diurnaque manu non modo subactum, sed attritum, detritumque. Hunc, si ab stilo exercendo abhorruerit, non minus trepidare, haerere, pallescere, incertum animi, consiliique inopem agi videbis, ubi aliquid de proprio jecinore extundendum occurrerit, quam navarchum illum, qui

(1) *Lib. VII. Ep. Famil. ad Treb.*

digni, non expectatione dicam vestrâ, sed ne patientia ipsa quidem, videamur. Sed si qua fides miseris, illud profiteri ingenue possumus, nihil per nos praetermissum, quo malo huic occurreremus. Ponite vobis ante oculos, quot, queisque pensis diurnis in hac Apollinis arce degravamur: sed multo magis benignitatem ipsi vestram considerate, quâ nos, nostrumque hoc (nostrum dicam, an potius humanitatis universae laborantis Lyceum?) complexi semper estis; nec dubitabimus, in hoc timoris, periculique pleno negotio cum parentibus optimis potius, quam cum iudicibus formidolosis, esse nobis hodie agendum.

De Humanarum Artium studio, atque utilitate. Pro an. 1794.

ORAT. IIII.

Quae res hominem quemcumque in dicendo impedire, deterrere, exanimare et solent, et possunt; sive audientium dignitas, et selectus, sive rerum dicendarum gravitas atque amplitudo, sive sua ipsius dicentis tenuitas et temporis angustiae: hae contra me omnes hoc tempore faciunt, Reverendissime Praesul, ornatissimique Auditores. Nam sive audientium majestas nonnihil timoris animo ingerere soleat, ecquis non videt, me te coram

esse hodie dicturum, Reverendissime Domine, cujus ut adventus plane inopinatus omnium Ordinum animos, praecipue vero amplissimum Praesulem nostrum tui desiderio, absentiâque jam diu sollicitum, summâ affecit voluptate, ita auctoritatis majestas, doctrinaeque haud vulgaris fama maximum mihi nihil tale cogitanti attulit pudoris reverentiaeque pondus? et vos de me judicium esse laturos, Auditores praestantissimi, qui ut civitatis hujus nobiliora ornamenta exsistitis, ita nihil praeferre videmini, praeter unam humanitatem vestram, quo minus fortasse severos in me ego vos judices verear, ac pertimescam? sive propriae sibi mens conscia mediocritatis dicentis animum deiicit, igniculosque illos restinguit, sine quibus nihil unquam fit magnum, ut divinus ajebat Plato, illud de me vobis fateri ingenue possum; si qua olim ingenii vis, si qua dicendi copia exstitit doctorum hominum non omnino patientiâ indigna, haec omnia, quâ nescio fatali plurium annorum desuetudine, otioque non exaruisse dumtaxat, sed et penitus depasta, atque absumpta omnino esse. Sin autem diligentis illius praeparationis ratio habeatur, quam Tullius in omnibus negotiis, antequam adgrediare, adhibendam praecipit, hoc ii, quorum interest, testari et possunt, et debent, me vix paucis abhinc diebus, praeter expectationem tum omnium, tum

meam, ad hanc honestissimam aeque ac laboriosissimam provinciam ante destinatum, quam id ego scire et possem, et cuperem, et deberem. Quibus omnibus si illud addatur, me, cum primum vobis dicere contigit, de humaniorum literarum ante omnia utilitate, praestantia, et jucunditate disserere proposuisse, in quali ego hodie, quantoque verser periculo, ipsi per vos et perspicere, et judicare facile potestis. At quando fieri aliter non potest, et ad has angustias nos conjecerunt tum rerum inopinatus plane eventus, tum consuetudinis receptissimae leges sacerrimae, agamus alacri, lubentique animo, caussamque istam, etsi minus sine dubio pro dignitate parati, at certe animati suscipiamus; quandoquidem ut ille ait:

In magnis et voluisse sat est.

Atque ad harum quidem artium, quas mihi asserendas proposui, utilitatem quod attinet, ea ex ipsâ hominis conditione, naturâque, nisi me fallit animus, profluere ante omnia videtur. Quandoquidem illa eadem natura, quae rationem homini prae ceteris animantibus tribuit, quâ res percipere valet, sociare similia, dissimilia secernere, quâ uno verbo intelligit, et alia ex aliis recto ordine deducit, haec, inquam, natura ipsa homi-

nem fecit hominum appetentem, ut societati, communioni, amicitiae, quâ vitae necessitate, quâ animi proclivitate, cum similibus sui perpetuo inhiet, quid quid contra philosophentur quidam, quos quoniam hominem homini naturâ infensum, aut agrestem, ac solitarium volunt) μιςανϑρωπυς verius dixeris, quam φιλοσοφυς. Atque hac profecto unâ de caussâ hominem unum, prae ceteris animantibus, sermonis facultate, organisque ad id aptissimis naturâ ipsâ donatum videmus, quod quemadmodum sine hominibus consistere humana societas non potest, ita neque recte iniri, neque diu inita durare sine sermonis usu valet. Quae cum ita sint, ecquis demum non intelligit, quâ ratione sermonis usus necessarius omnino est, ut homines et se mutuo intelligant, et in unum veluti corpus coalescant, eâdem ipsa rectum sermonis usum, quam humaniores literae praeferunt, esse apprime utilem, atque idoneum, quo recte inter se communicare homines, feliciterque vivere valeant?

Nam et cogitationes suas alteri ita tradere, ut intelligat utcunque quod dicitur, neque quid magnum in primis in se est, cum id praestet unusquisque de faece proletaria; neque, quod longe majus est, iis adsequendis, qui sermonis humani fines sunt praestituti, magnopere aptum et consentaneum: quod ut ante oculos ponamus,

ecquis dicet, eum sermonis humani finem adamussim attingere, qui ut alteri suadeat, quod ipse velit, vel secus; aut opportunis ad id efficiendum verbis destituatur, aut illorum modum, dispositionemque, adjunctis descriptionibus, sententiis, aliisque ad affectus praecipue permovendos necessariis, ignoret? Nam verborum proprietatem usu, atque exercitatione, sententiarum autem, troporumque modum ad ciendos in primis affectus, naturâ duce, potissimum doceri, neque ignorare possumus, neque tacere volumus; unde et homines passim videas nullo liberalium artium, aut vix levi odore imbutos, cogitationes suas nitide tradere, et ad eas quas aut ipsi in se experiuntur, aut in aliis excitandas volunt, adfectiones ingerendas, idoneos omnino reperiri, ut ad id nati unice videantur. Verum quid iis faciendum in primis, qui talibus a naturâ praesidiis destituuntur? Hi-ne inter sermone utentes silebunt, aut omnia perturbabunt inficetâ oratione, et non magis, ut claudi baculo clauditatem suam, ita ipsi arte naturae inopiam juvabunt? Deinde et ii ipsi, quibus natura facilis proclivisque fuit, si tantum illius ope valent, ut etiam sine arte alios, quo volunt, trahant, rapiantque, ecquid demum non erunt effecturi, si ad hunc eumdem effectum artis subsidio roborentur? ars siquidem, ut est in proverbio positum, dux certior est, quam na-

tura. Praeterea, quod hi tantum naturâ pollent, ut cogitationes suas ita disponere oratione norint, ut evincant, quod volunt, ideo-ne inutilia ipsis, et non plane opportuna studia haec censenda erunt? Quasi vero qui aliquam a naturâ proclivitatem, facilitatemque ad canendum, ad saltandum, aut ad aliud quodvis, prae ceteris, sortitus sit, idcirco ei musices, saltatoriae, aut alterius, quam mavis artem, sint regulae ac subsidia contemnenda, et non potius hac eâdem de caussâ diligentia exquisitiore, summoque studio conquirenda, sectanda, addiscenda! naturae siquidem in nobis est incipere, et quo movendum sit, innuere; artis autem dirigere, et ad summum in omnibus perducere. Videtis, adolescentes optimi, quam vobis sit necessaria ingenuarum artium eruditio, ac familiaritas, quae in singulis quoque vitae, societatisque humanae usibus, atque officiis tam insignem locum habent.

Facultates enim reliquas, disciplinasque, praecipue autem Philosophiam, esse homini tum pro civili, tum pro domestica vitâ ducendâ necessaria, nemo unus inficias ibit. Imo et has artes ipsas, quas modo commendamus, Philosophiae ante omnia indigere praesidio, ne vanae sint, et steriles, non ultro tantum concedimus volenti, sed etsi quis aliter sentiret, contra parati essemus defendere. Nimirum ii nos sumus, quibus illud Home-

ri ante omnia ob oculos est, qui, ut veram, solidamque probaret Ulissis facundiam, eam nunquam ex ore, sed e pectore semper, idest ex animo gravissimis sapientiae praeceptis, institutisque cumulatissime imbuto fluere ajebat. Verum illud mihi concedendum facile puto, non in quolibet humanae vitae usu singulas quasque, aut Philosophiae, aut aliarum disciplinarum partes locum semper habere posse. Nam neque cum rudibus hominibus de caelestium corporum magnitudine, motu, figura disputare serio possumus: neque ubique sunt aut rerum naturalium causae, atque effecta inquirenda; aut arcana Matheseos patefacienda, aut explicanda historiae, politices, oeconomiae scita, praecepta, monita, et quidvis aliud. At sine dubio sive tibi de naturali, aut supernaturali Theologia cum viris eruditis est communicandum, sive de rebus ad humanos vitae usus, utilitatesque pertinentibus cum familiaribus est colloquendum, sive de re quacumque aut sacrâ, aut profanâ, aut publicâ, aut privatâ, sive domi, sive foro, sive ludo, sive serio est tibi dicendum, quotus quisque ille est, qui ignorat, non verba tantum, et sonos in promptu esse debere ad id explicandum, quod velis, sed multo magis verborum modum, sententiarum, troporumque usum ad id evincendum, quod est oratione propositum? O praeclaram igitur ingenua-

rum artium laudem, quarum tam late patet utilitas, atque necessitas, quam longe lateque vagantur et vitae humanae officia, et humani sermonis usus!

Quid iis artibus utilius esse potest, quibus qui exculti, ac perpoliti sunt, de re quacumque, sive gravi, sive levi, sive apud amicos, et familiares, sive publice et coram judice, suadendum aliquid aut secus aggrediuntur, sive quidvis audent, aut ad vitae necessitatem, aut ad animi oblectationem, grati ubique occurrunt, facile ab omnibus excipiuntur, et vix quidquam assequi dicendo conantur, quod non aut ex toto, aut ex parte, aut semper, aut fere, non extorquere blande videantur? Quid dicam de egregiâ illâ utilitate, praeparationeque, quam ad scientias universas rite comparandas ipsae afferunt? Iam enim omnium ore protritum est, omniumque etiam et hominum, et saeculorum experientiâ confirmatum, eo homines ad facultates quasque recte addiscendas aptiores, si cetera sint paria, reperiri, quo felicius ab artium humanarum eruditione, ac familiaritate viam suam auspicantur. Quid quod et hae eaedem artes eos, a quibus excoluntur diligenter, ipsae excolunt vicissim, ut non tantum verbo, et oratione, sed et multo magis vitâ, et moribus nitidi, elegantesque adpareant? Unde et Ovidius, idoneus sane hujus rei aestimator,

Ingenuas (inquit) *didicisse fideliter artes*,
Emollit mores, *nec sinit esse rudes.*

Quis igitur in haec tam praeclara, atque utilia vitae humanae praesidia, atque ornamenta sibi comparanda, si modo inter homines homo, non ut stipes aliquis, aut truncus, versari exoptet, non animum, non vires, non nervos, non ingenium denique omne intendet? Neque me reprehendendum putetis, quasi hominem dixerim, qui nisi ingenuarum sibi artium praesidium conquisierit, hic ita fere sit inter homines homo computandus, ut inter viventes statua aliqua, aut simulacrum. Nam quid putatis, artes istas modo ingenuas, modo liberales, modo humanas appellari, nisi quod cum hominem instituant, efformentque pro universis, et singulis humanae societatis usibus, tum hominem decent prae ceteris, quâ ingenuus, quâ liber, uno verbo, quâ homo est? Quamobrem scite admodum, prudenterque Horatius nutriculam inducit, quae post mundum victum, ac bonam corporis valetudinem non aliud alumno suo vovet, quam

. . . *Ut sapere*, *et fari possit*, *quae sentiat.*

Nimirum id unum est, quo homo non bruta tantum animantia antecellit, sed et inter mortales ceteros etiam excellere, et praestare potest! sunt igitur artes hae homini, quâ homo est, et utiles

plane, et necessariae, atque hac solum de caussâ, etiamsi cetera deessent, omni studio, ac labore essent a quovis conquirendae.

Quid vero, quod admirabili huic utilitati incredibilem habent jucunditatem cum praestantia singulari conjunctam? Nam quid iis facultatibus aut jucundius, aut praestantius esse potest, quarum ope, adjutricibusque, ut ita dicam, manibus, reliquae disciplinae omnes, et ut praestantiores eniteant, et ut jucundae, aut saltem minus asperae videantur, indigent? Nam cum harum defectu inepti oratores exsistant, Philosophi barbari, in omni denique humanâ vitâ frigidi omnes, atque injucundi videantur, tum illarum beneficio praeclari oratores in dicendo, mundi philosophi in disputando, elegantes demum, ac culti homines eminent in hominum societate, et conjunctione. Hinc neminem fere unum invenire est, sive ad antiquiora te, sive ad recentiora haec nostra tempora converteris, cujus scripta, lucubrationesque cum laude, et voluptate doctorum hominum manibus atteruntur, qui, in quacumque sibi facultate nomen sit adeptus, non artes istas et egregie norit, et ad usum fideliter non advocarit. Anne divinus quenquam latere Plato potest, de cujus eloquendi vi et copia, et sublimitate Tullius testatum reliquit, Iovem ipsum, si Graece loqui vellet, non alie, quam Platonis sermone usurum? Anne Aristotelem quis ignorat, cujus ubertatem ma-

gnificentissimam idem Cicero fluvio confert auro fluenti ? Quid Theophrastum commemorem , cui a dicendi divinitate nomen adscitum ? Theophrastus enim Graece, si verbo verbum reddas, divinus quasi locutor sonat. Quid Lysiam dicam , Isocratem , Aeschinem , Demosthenem , Crassos , Hortensios, Polliones , Tullios , aliosque sexcentos tum a Graecâ tum a Latinâ vetustate selectos, quibus a singulari potissimum eloquendi vi immortalitas est asserta ? Atque ut ad haec nostra tempora veniam , quae viris cujuscumque generis disertissimis abundant , quosque longum esset , atque invidiosum enumerare , nonne in universum adfirmate dicere possumus , illorum scripta , prae çeteris , inter eruditos hominum versari manus , qui soliditati doctrinae ornatam , nitidamque adjunxere dictionem , cum interim , quae hoc ornatu carent , etsi fortasse aliis abundent , inter pulverem , atque araneas consenescant blattis , et tineis absumenda? Nimirum ut cibum , quantumvis licet solidae substantiae , saporisque exquisiti, si tamen rudi mensâ, vasisque graveolentibus sit appositus , facile fastidit stomachus nec satur , nec delicatulus , quem tamen mundâ in tabulâ , nec sordidâ manu exhibitum libenter appetat, vel repletissimus quisque : ita veritates graviores, sive ad contemplationem, sive ad actionem pertinentes , oratione barbarâ , atque insuavi expositae a sui majestate vel ipsa ingenia robustiora deterrere aliquando

queant, quibus tamen concinno elegantique sermone convestitis vel ingenia leviora assuescere tandem possunt!

Nihil igitur, adolescentes optimi, impedimento esse poterit, quo minus, ut par est, parati, animatique haec studia suscipiatis: imo nihil deest, quo quantum fieri potest, in his iisdem excolendis et accendamini, et exardescatis. Nam sive utilitas in pretio est, quid iis utilius, quae hominem et pro disciplinis omnibus recte comparandis instituunt, et pro totius vitae societatisque humanae usibus, atque officiis conformant? Sive praestantia desideratur, ecquid iis praestantius, quibus ceterae omnes facultates, ut bono in lumine collocentur, indigent? Sive allicit nonnihil jucunditas, quid iis dulcius, et jucundius, quarum dulcedine, atque amoenitate nihil est tam asperum, atque ingratum, quod non mitescere, et efflorere quodammodo possit? sive exemplum confirmat, stimulosque addit, habetis omnium temporum, ac seculorum viros praeclarissimos, qui haec eadem studia diligentissime coluere. Sive demum docentis in vos et caritas, et diligentia nonnihil juvare possit, equidem vobis polliceor, quantum in me virium, atque ingenii est, id totum in vestri gratiam, atque emolumentum aequo, lubentique animo consecratum iri, utpote qui in vobis posthac, qualis ego sim, quantusque haberi ab aliis debeam, sim suspecturus.

DISCORSO ACCADEMICO

SULLE BELLE LETTERE.

Per l' apertura della scuola di lingua latina nel Collegio Medico Cerusico 1812.

Giovani valorosi: al vedere in procinto di ragionare del suo mestiere un uomo destinatovi dalle provvide cure del Governo a Professore di belle lettere in questo immortal Liceo delle scienze più necessarie al sollievo della infelice umanità; la prima idea che si presenterà per avventura al vostro spirito, sarà quella di uno che intenda mettervi a vendita la propria professione, caricandola di un prezzo esagerato. Io non so quale impressione possa aver formata sul vostro cuore la mia non lo quanto vantaggiosa fisonomia. Ma se per una parte posso io assicurare, non essere certamente l'affare delle belle lettere il primo o l'unico di quelli, ne' quali mi è convenuto di logorare i giorni miei qualunque; debbo dirvi per l' altra con tutta la franchezza della modestia, che Natura per nessuna cosa mi ha tagliato meno, che per la impostura e per la ciarlataneria; e che quindi se per un Professore delle *arti ingenue* non si richiedesse di più della ingenuità del ca-

rattere di chi le professa, ben pochi pari avrei io a contare nella mia professione. Ma lasciamo al tempo e alla vostra particolare sperienza a decidere della ingenuità del Professore: vedete per un momento, se egli vi parla delle arti ingenue, almeno con tutta la ingenuità della professione.

Qual si è l'oggetto delle belle arti? Quello di esprimere le proprie idee di una maniera atta a produrre i sentimenti che si vogliono sullo spirito di coloro, a cui son dirette. Ecco dunque una facoltà tutto propria del solo uomo, e senza cui egli non è più uomo di quello che lo è una statua rappresentante l'uomo. Intenda pur egli e sappia tutto quello che vuole, possa volere quanto concepir si può di meglio e più pregevole: fino a che mancherà dell' importante segreto di comunicarsi a' suoi simili di una maniera idonea al conseguimento degli oggetti propostisi, tutto il suo intendere e sapere non si valuterà da più di un tesoro nascosto inutile a chi lo possiede, egualmente che a coloro che si credono nel diritto di parteciparne.

Avendo di fatti la natura destinato l'uomo a rappresentare nel gran Teatro del Mondo la parte di un essere veramente socievole, non contenta di averlo fornito di facoltà intellettuali, onde arricchirsi delle cognizioni a ciò necessarie, il dotò eziandio dell' organo della parola, col cui mezzo

entrar potesse agevolmente in comunicazione coi suoi simili per tutto ciò che riguarda in qualunque senso gl' interessi della umana società. L' organo quindi della parola, non già il materiale e meccanico, ma quello bensì della Filosofia e ragione, è senza dubbio la prima e più importante delle occupazioni dell' uomo, in quanto socievole, che è quanto dire, dell' uomo inquanto uomo.

Orazio, a cui il pratico impegno di una Filosofia tutto senso non impedì l' esser Filosofo della più profonda analisi, mostrò di aver bene valutato il peso di sì grande verità, allor quando restrinse tutti i voti della balia affettuosa pe 'l suo tenero allievo a' seguenti: *buona costituzione di corpo*: *sufficienza dell' occorrente per la conservazione della medesima*: e finalmente, *ut sapere, et fari possit, quae sentiat.* Oh! sentimento veramente divino, più che ammirabile, e che in poche pennellate adombra il vero quadro dell' uomo degno del suo nome e della sua definizione. *Sale in zucca, e buona parola in bocca. Sapere, et fari posse, quae sentias.* Il saggio Omero ben prima del nostro Venosino, additata ci aveva la stessa verità sotto i simboli di una Filosofia tutto poetica, cioè fantastica, e con ciò più atta a ferire i nostri sensi. Inteso egli a proporci il modello del *vero eloquente* nella persona dell' accor-

to Ulisse, ne fa sboccare costantemente la facondia, anzi che dal labbro, dal petto e dal cuore.

Tale si è per appunto la vera eloquenza, ornatissimi Giovani, a cui è intenzione del vigilantissimo Governo dirigere i vostri passi. Non consiste già essa in un solfeggiare armonico, se è lecito lo spiegarsi così, di quattro studiate parolette, tutto il cui bello và in fine a disciogliersi, senza più, in una frivola, quantunque dolce acustica sensazione. Questa occupazione tapina si è per buona sorte abbandonata da gran tempo ai garruli declamatori, e a' pedanti ridicoli. *Scribendi recte sapere est, et principium, et fons.* Le buone cognizioni, le utili scoverte, la conoscenza dell' uomo e de' suoi costumi, sono le vere sorgenti, e le basi sicure del ben pensare, e quindi dello scriver bene, e del ben parlare, che da esso necessariamente dipendono. Ma il mettere intanto a giusto profitto siffatti preziosi capitali per ciò che riguarda i nostri rapporti co' nostri simili a noi legati per mezzo dell' istrumento della voce, questo tocca alla innocente magia delle sole belle arti, che per una antonomastica proprietà si hanno aggiudicato nel vocabolario universale il titolo troppo meritato di *umane* ancora.

Or il primo libro, ove attignere i principii di questa professione importante, è senza dubbio l'originale infallibile della natura, che le arti tutte

appoggiate

appoggiate alla imitazione sono nell' obbligo di studiare incessantemente, e di ricopiare per quanto si può. Quando si è più di ogni altra cosa potentemente penetrato di quello, di cui si vuole ragionare e scrivere, non si mancherà giammai, a parola del gran Maestro dell' arte, nè di grata facondia, nè di ordine luminoso di pensieri e parole ad essi corrispondenti. Ma lusingarsi di tutte in se stesso poter isperimentare, senz'altra fatica, le impressioni felici della natura in proporzione degl' infiniti casi ed incontri possibili; e queste sempre le più corte ed accertate, per correre a' propostisi fini; e senza deviazione alcuna, che ne allontani, o ritardi almeno il bramato conseguimento: sarebbe un presumere di se troppo vantaggiosamente, e 'l dare nel tempo stesso una mentita alla saggia provvidenza, la quale, chi più chi meno ci ha voluti tutti relativamente e istruiti ed ignoranti, a fine di allacciar più forte il nodo della umana società colla molla del bisogno reciproco. Risovvengaci, per dir tutto in poco, che

Non omnia possumus omnes.

Ecco di qua il bisogno imperioso di giovarci, siccome per le altre scienze e facoltà, così per le belle arti in particolare, degli eccellenti origi-

nali Latini. Formati essi sul genio degl' inco
rabili Greci modelli, siccome questi su quel
gli Orientali, ci hanno tramandato il più b
squisito di tutti i secoli, e di tutte le nazio
colte. E non solo per ciò che riguarda la ma
più acconcia del dire, ma per tutto quello
sì che in qualunque modo aver può connes
e rapporto coll' impero illimitato delle uman
gnizioni e divine. Vi è di fatto argomento d
teratura sagro o profano, storico e politico
losofico o morale, antico o moderno, di ne
tà o di lusso, di genio o di polso, che no
si trattato dagli antichi, o che non si vegga
tare tutto giorno da' più receuti scrittori di
le nazioni e di tutto il mondo colle grazie
nali ed inimitabili di questa Lingua per ogni
so ecumenica ed immortale?

Che la lingua del Lazio sia stata la lingu
quasi il Mondo tutto conosciuto, quando l' I
ro romano dava la sua Legge all' Orbe conc
to, non deve recarci punto maraviglia. Chi
le sue leggi a' popoli deve colle sue leggi co
nicar loro o presto o tardi la sua lingua an
Ma che distrutto l' Impero Romano dal ferro
Barbari, la lingua del Lazio, ad onta della
za de' secoli, e degli infiniti ostacoli, che av
bero dovuto portarne via fin le prime vesti
siasi conservata fino a' nostri tempi: che il c

no della letteratura in generale siasi creduto in tutti i tempi e da tutte le persone di buon senso legato indissolubilmente con quello della lingua del Lazio: che questo savio giudizio non siasi smentito giammai alla pruova senza replica del fatto e della sperienza: questo solo, o Signori, quando mancasse tutt' altro, decider deve perentoriamente della necessità indispensabile del merito trascendente della Lingua, per lo studio della quale è piaciuto al Governo destinarci a vostra guida.

Quando si concepì l' ardito disegno di sgombrare dall' Orizzonte Europeo, e dalla nostra Italia in particolare, le nugole inveterate della barbarie e della ignoranza, sapete voi, a che si diressero le prime cure di un Dante, di un Boccaccio, di un Petrarca, più di ogn' altro, e di tanti altri valentuomini di tutta l' Europa occupati dal XIII. secolo in poi di così glorioso progetto? A disotterrare per appunto e ritornare in vita i Classici Latini, a restituirne le depravate lezioni, a moltiplicarne gli esemplari, a ricopiarne lo spirito e le grazie, a metterli in credito ed in uso da per per tutto, senza rispamiarla nè a spesa nè a fatica. Erano ben essi persuasi, che questi modelli sublimi erano i soli, che svegliar potessero lo spento entusiasmo per le scienze, rettificare le nostre idee, abolire i nostri pregiudizii, forma-

*

re il vero gusto, aprire in somma un nuovo cam
po alle cognizioni umane, di qualunque gener
e natura esser si potessero. E se essi in così pen
sare ed operare diedero nel giusto segno, lo s
il dotto mondo; non dovete ignorarlo Voi;
quando tutti *in solidum* vogliamo esser sinceri
l' immortal fulgore del Secol nostro, e di qu
tutti che l' han preceduto, siccome l' Aurora
giorno, è dovuto a' sforzi gloriosi di questi uo
mini divini, e per questa parte appunto.

Eh! sì, giovani amatissimi: quando dalla ser
lettura de' Classici Latini non si avesse a ricavar
di più del solo genio abituale d' istitichire, a d
così, su di una semplice parola, pesandone l
proprietà, scandagliandone la forza, assicurando
ne la purezza, equilibrandone la giacitura, sa
rebbe questo un capitale di così indifferente ap
parecchio pe 'l resto delle scienze tutte da appren
dere? Io non debbo entrare ne' sagrarii della vo
stra professione in particolare. Tocca questo
vostri egregii Professori. Ardisco non dimeno a
sicurarvi in loro nome senza pericolo di esse
smentito, che vi ha ben pochi Classici Modern
che non abbiano trattato in questa lingua di qua
siasi ramo della Medica professione; per nulla d
re del vostro antico Ippocrate Latino, voglio d
re del famoso Cornelio Celso, che non potre
giammai ammirare ed imitare abbastanza. Ma u

sola riflessione generale, e cesso di abusarmi di vantaggio della vostra sofferenza.

Vi ha Scrittore moderno qualunque di qualunque siesi argomento e linguaggio, che si nomini con venerazione, che si cerchi con impegno, che si legga con piacere, che si consigli con profitto, e le cui opere in una parola si credano aver giusto titolo alla immortalità, che non siasi prima distinto pe'l genio delle belle arti, e per lo studio degli antichi Autori Latini? E Medici e Leggisti, e Filosofi e Teologi, e Storici ed Antiquarii, e Fisici e Politici, e tutti in una parola si veggono col *ceteris paribus* primeggiare ciascuno nelle rispettive categorie con quella proporzione e misura, onde seppero fra gli altri primeggiare in fatto di belle arti e scienze amene. Questa verità era troppo interesante, per isfuggire le accorte vedute del saggio Governo, che ci guida al nostro meglio: e voi sareste ben poco degni delle sue paterne ed illuminate premure, ove manchereste di metter seriamente a profitto i mezzi opportuni, ch' esso si fa un sagro dovere di presentarvi per quest' oggetto.

ERRORE			CORREZIONE
pag. 2.	v. 4.	adusta	adusto
94.		Symmaclium	Symmachum
101.	v. 4.	Turpia	Turpi
120.	v. 11.	Che avverso	Che d' avverso

INDEX

CARMINUM, ET EPISTOLARUM

LIB. UNICUS.

ELEGIARUM

LIB. I.

ELEGIARUM

LIB. II.

EPIGRAMMATΩN , LYRICORUM , ET HENDECASYLLABORUM

LIB. UNICUS.

ODARUM

HENDECASYLL.

POESIE ITALIANE

ORATIONES

AD COMITIA PROVINCIALIA

ORD. PRAEDICAT. PRO ANNO 1799.

A S. E.

Il Sig. Principe di Cardito, Presidente della Giunta di Scrutinio per la pubblica Istruzione.

Eccellenza

Raimondo Guarini desidera pubblicare colle stampe una sua Opera intitolata *Poemata varia* Chiede perciò disporne la revisione, e l'avrà.

Raimondo Guarini

Addì 10 Luglio 1821.

Per delegazione a me fatta dalla giunta di scrutinio per la pubblica istruzione con appuntamento del dì 29. maggio 1821. Il Signor D. Carlo Baccaro si compiaccia di rivedere la soprascritta Opera, ed osservare se vi è cosa contra la Religione, ed i dritti della Sovranità, e se dalla pubblicazione di essa ne risulti decoro, e vantaggio al pubblico.

Il Membro della Giunta,
Deputato Gaetano Parroco Giannattasio

A S. E.

Il Sig. Principe di Cardito Presidente della Giunta di Scrutinio per la pubblica Istruzione.

Eccellenza

Ho letto l'opera, manoscritta, intitolata *Poemata varia*, che D. Raimondo Guarini desidera pubblicare con le stampe, rimessami con la di lui domanda, segnata nel dì 10 Luglio, ed anno 1821 dal Reveren. Sig. Parroco D. Gaetano Giannattasio, membro di cotesta Giunta, e Deputato

In essa non ho rinvenuto cosa che alla Religione, ed ai dritti della Sovranità si opponga ; che anzi il chiarissimo Autore vi ha scritto cose sacre , e profane degne da esser lette ; e da cui risulta nello spirito decoro , e vantaggio al pubblico. Onde se altrimenti non istima la E. V. può concederne la permissione per dargli alle stampe : ben vero però , che non si pubblichi se pria non siasene fatto il concorda con l' originale.

Della E. V.

Napoli 15 Luglio 1821.

Div. Ser. S. Obb.

Carlo Baccaro Regio Professore e Revisore.

Napoli 18 Luglio 1821

Vista la domanda di Raimondo Guarini di voler stampare l' opera intitolata *Poemata varia*. Visto il rapporto del Regio Revisore Sig. D. Carlo Baccaro per commessa fattagliene dalla Giunta. La Giunta stabilisce , ed ordina , che si stampi l' anzidetta opera colla riferita domanda del ricorrente Raimondo Guarini , e dell' approvazione del cennato Regio Revisore Sig. D. Carlo Baccaro , però non si pubblichi se non collazionata di nuovo dallo stesso Revisore l' opera stampata ; venga egli a contestare che concorda con l' originale da esso approvato.

Il Presidente della Giunta.
Firmato = Il Principe di Cardito.
Il segretario Generale , e Membro della Giunta.
Firmato = Loreto Apruzzese
Per Copia Conforme
Il Segretario Generale , e Membro della Giunta
Loreto Apruzzese.

ELENCO DELLE OPERE DELL' AUTORE.

Ricerche sull' antica Città di Eclano con tutte le aggiunte fino al 1821 in-4.
In Veterum monumenta nonnulla Comentaria in-8.
Analisi, e Costruzione grammaticale in-8.
Analisi di alcune nozioni preliminari di Dritto di natura in-8.
Saggio di discorsi Panegirici e morali in-8.
Illustrazione dell' antica Campagna Taurasina, e di alcune nozioni agrarie in-4.
Poemata varia in-8.